DISPVTABILIS SPHAERAE PARTES DVÆ,


In quibus quidquid ferè apud Philoſophos, necnon Thæologos in diſputationem venit,

A D. Sylueſtro Picenardo Cremonenſi Canon. Reg. Later. diſcutiendum proponitur.


Illuſtriſs. ac Reuerẽdiſs. D.D. Hieronymo Bernèrio S.R.E. Cardinali Ampliſsimo, Epiſcopo Aſculano, ac Principi meritiſſimo.







PLACENTIÆ,
Ex Officina Ioannis Bazachij, M. D. XCIII.
De licentia Superiorum.



ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D. D. HIERONYMO BERNERIO

Amplissimo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, &c.

DON SILVESTER PICENARDVS. S. P. D.



Vit olim ab Ægyptijs, illisq; præsertim, qui præter cæteros sapientia floruerunt, introducta consuetudo, ac ea deinceps veterum omnium approbatione firmata, vt, si qui ciuium ab Optimatibus suis singulari beneuolentia

digni habiti fuissent, hi non modo se ipsos arctissimo necessitudinis vinculo illis obstringerent, verùm etiam posteros suos, & consanguineos perpetuò dicarent, & consecrarent; vt si ipsi virium suarum imbecillitate tam insigne, tamq; singulare beneficium persoluere nullo modo possent, posteris saltem suis temporis diuturnitate persoluendum relinquerent. Quem morem sanè quidem laudabilem, & valde probandum Ioan. Baptista Renius, vir probatissimus, eiusq; frater Iosephus Physicus, & Medicus præstantissimus ex animo amplexantes, sibi seruandum putarunt, atq; imitandum; Nam cum ambo pro ea, qua es, incredibili humanitate, digni sint habiti, qui in eorum numerum referantur, quibus tuo iure imperare possis, singulariq; tua erga se beneuolentia beneficiorum etiam magnitudinem adiunctam experti fuerint, cum se ipsos, ac fortunas suas omnes iampridem Amplitudini tuæ deuinxerint, me quoq; affinem suum in fidem tuam, clientelam,

telam,

telam, ac patrocinium locandum esse duxerunt; non quòd me ipsum innumerabilibus, & maximis beneficijs tuis digno aliquo munere respondere posse arbitrati sint, sed potius, vt obseruantiam in te meam; aut verius pietatem paruo hoc munusculo significare contendant; Nam & si grauissima quædam negociorum, ac munerum publicorum est tibi moles imposita, quam tu tanquam vniuersi terrarum orbis cardo firmissimus egregiè sustines, optimè tamen fratres ij sciunt in tot, tantisq; occupationibus te sic in litterarum studio versari, vt & magna cum oblectatione legas, quæ publicis monumentis consignata sunt, & scribas ipse quæ à posteris studiosè lactitabuntur. Quare hac potissimùm ratione ducti Sphæram hanc meam, licet impolita, rudiq; forma in lucem prodeuntem, humana tamen, ac diuina in se continentem, libenti te non modò animo excepturum, sed firmissimo etiam, ac fidelissimo patrocinio tuo ab omnium calumnijs vindicaturum esse sibi


se sibi persuaserunt , mihiq; illius tibi dicandæ auctores, & suasores extiterunt. Ego vero honestæ eorum voluntati eò libentius morem gessi , quòd dum te beneficiorum auctorem agnosco, Sphæræ quoq; huic meæ ex Illustrissimi nominis tui inscriptione plurimum splendoris adiungam. Non enim in humili, et obscuro, sed excelso , & illustri loco adeò sita virtus est tua , vt bonis omnibus opem ostendere, ac polliceri videatur . qua quidem , & ea nempe singulari , ac inaudita virtute vehementissime commotus Sixtus Quintus Pont. Max. idemquè Princeps iustissimus , ac sapientissimus, in Sacrosanctum purpuratorum Patrum cætum te sic cooptauit , vt amplissimus honor iste non gratiæ datus, sed tantæ virtuti tributus esse videatur , non vt vllum in eo amicorum studium , sed meritorum ratio , non vt ve dantis liberalitas , sed accipientis dignitas penitus cognita fuerit , planequè perspecta. Itaq; tantum abest , vt à maioribus tuis , quamuis omni ornamentorum genere

nere cumulatis, ad te ornandum quidquam haurias, vt etiam in te sit; quod ad illos copiosissime redundat, effluetq́; & in dies magis effundetur, si quando (quod faxit Deus) inferiorem hanc Sphæræ partem tibi regere, ac moderari licebit, tunc enim superiorem illius partem suspiciens cœli globos intueberis, atq́; ex eorum motibus, & luminibus omnibus auxiliari, omnibus prodesse, omnibus beneficentiæ tuæ Thesauros largè impertiri poteris, Ex quo summa tibi laus, & gloria, clientibus autem tuis non parua exorietur vtilitas. tuis igitur maximis clarissimisq; virtutibus, Illustriss. Princeps, Sphæram non solùm hanc meam, sed vniuersas etiam res meas dicatas esse constituo, Domus enim nostra pro tuis plurimis, & maximis in nos meritis, omnia se tibi debere fatetur, atq; profitetur, quæ cum nullo modo sileri debeant, & breui epistola commodè commemorari non possint, nobis erit longinqui temporis spacium exoptandum, ad ea

tua

tua in nos merita prædicanda. Vale Præ-
ſul Ampliſsime, ſummaq; ſemper ad optata
tua felicitas aſpiret. Placentiæ in Ædib.
Diui Auguſtini Idibus Ianuarij.
M. D. X C I I I.





V m præcipuum sciendi instrumentum, vt puta Demonstratio ex Aristotelis placitis circulare esse non possit scientiam sphæricam esse, & scibilia omnia sub sphæra circulis contineri non sine magna hominum admiratione dici potest. Attamen si accuratius, & Aristotelis sententiam, & institutum nostrum perspicere quis voluerit, intelliget profecto, neque eius dictis aduersari, neq; ab eius via, vel vnguem quidem aberrare. Non.n. hæc ita re ipsa se habere tueri volumus, sed per similitudinem quandam posita esse intelligimus. Scientia.n.circularis, ac sphærica dici potest, non quod figuram, vel quantitatem aliquam habeat, sed quia ab effectu ad causam, & econtra, à principijs ad principiata à simplicibus ad composita procedere solet. Circularis insuper dici debet quia sicut ex quo aliquis in circulo moueri cæpit non est certus, ac limitatus terminus in quo deniq; quiescere debeat, ita ex quo quis in aliquo scientiarum circulo pedem posuerit, & si diu, & celerrimè moueatur ad vltimum tamen terminum peruenire non potest, sed quo maiora discit eo maiora discenda conspiciuntur. Hoc quamuis obscuræ insinuare voluerunt antiqui dum Mercurio scientiarum omnium authori Caduceum tribuere voluerunt, quem

ſerpentes duo ad Sphæræ modum compoſiti decorabant. Illi etiam Teſtudinem ſacram eſſe voluerunt, vt quæ præcæteris animantibus ſphæricam figuram præſeferre videatur. Quod ſi ipſiuſmet Mercurij imaginem quadratam ſculpi voluerint antiqui, non eſt quod huiuſcemodi figuram, vel minimum quidem ſcientiæ conuenire crediderint, ſed vt quatuor præcipuas circuli partes patefacerent, vt.n. vniuerſi quatuor ſunt præcipuè partes ita ſcientialis ſphæræ quatuor ſunt præcipuè cauſæ. Quare hac eadem ratione ducti quatuor chordarum citharam eidem Mercurio tribuerunt. Huc etiam quod AEgyptij ſapientes, Græciq; antiquiores Philoſophabantur adduci poteſt, quarundam.n. diſciplinarum complexum Encyclopediam vocabant, eo quod diſciplinarum huiuſcemodi nexum per circulorum quorundam colligationem, qui ab ampliori quodam circulo complecterentur figurarent. Intra quem nimirum tres alij circuli centris, & circunferentijs adeo inuicem compliciti deſignabantur, vt vnius centrum alterius principium, & circumferentia eſſet. Per illos quidem interius ductos tres humanarum ſcientiarum ſpecies deſignantes, per illum vero qui latiori ambitu ſpaciatus cæteros continebat Thæologiam intelligentes, vt innuerent ſupernaturalem cognitionem omnium naturalium rerum ſcientiam eminentiæ, quandam altiori ratione complecti. Verum clarius adhuc Platonem idipſum animaduertiſſe conſpicuum eſt, cum ſcibilia

omnia,

omnia, siue sint mens stabilis, siue anima se ipsa mobilis; siue natura, siue materia in circulis locanda esse iudicarit. Sed vt quid hac in re antiquorum sententiam desideramus? Cum natura ipsa hoc idem tacitè fateri videatur ex animantibus.n. solus homo qui est scientiæ, & disciplinæ capax circularis est, imo quod magis refert nedũ cerebrum ipsum in quo scitarum rerum species reseruantur circulare est, verum & ipsa sensuum organa, quæ scientiæ acquirendæ Aristotele teste maxime conducere videntur, vt auditus, & visus circularia esse conspiciuntur. Vnde qui, vel rectè speculandi, vel facile memorandi præcepta tradiderunt omnia ad sphæras omnia ad rotas mobiles, vel immobiles redigerunt. Merito igitur disputabilia omnia, tùm in naturali Philosophia, tùm in diuina Thæologia, sub sphæra circulis redigenda esse iudicauimus. Cum.n. scientia ipsa in communi, vt probatũ est, circularis existat, quæ maxima scientiæ sunt maxime circulares iudicari debent. Illis insuper circularis figura magis conuenit, tum quia capacissimè sunt quod huiuscemodi figuræ proprium est, tùm etiam quia vtraq; de sphæricis rebus sermonem habet. Naturalis.n. in cœlorum, ac elementorum consideratione versatur. Thæologia verè summum illum infinitum, ac incompræhensibilẽ circulũ, inintelligibile illud Ωμεγα omnia compræhendens, omnia ambiens, omnia includens contemplatur. Verum & si harum vnaqueq; scientiarum sphærica existat, neutra tamen se ipsa valet Sphæram integram constituere. Sphæ

ra.n. ex ætherea, & elementari parte constituitur. Harum autem vna materialia tantum, altera diuina tantum speculatur. vt igitur sphæra integra, & perfecta, ex æthérea, & elementari parte constituta in lucem prodire posset Philosophia, cum Thæologia coniungi, ac compaginari debuit, ex his.n. vna resultat Sphæra, quo ad elementarem partem quatuor elementa comprahendens, quo ad æthéream vero cœlos octo mobiles, secundum Aristotelis sententiam, nonũ uero immobile ex Thæologorũ opinione.

Ecclesia stat pro orbe Lunæ, Pontifex pro orbe Mercurij, Gratia pro orbe Veneris, Christus qui in Zodiaco mouetur, qui Solsticia, necnon Equinoctia terminat pro orbe Solis, tres Angelorum Hierarchiæ pro tribus alijs orbibus constituuntur. Maria vero quæ Angelorum omniũ Sphæras est supergressa meritò in stellato cœlo collocatur, pro immobili vero Cœlo ponitur Deus vnus, & trinus; sed suo loco consilij ratio adducetur. Potentia, & Sapientia in hac Sphæra nostra coluria erigunt. Lex & præcepta Meridianum componunt, fides locum tenet Axis puncta, vero Axem terminantia sunt vetus, & nouum testamentum, in minoribus autem circulis à Sole remotissimis, ea peccatorum genera collocamus, quæ hominem frigidissimum, atq; à Deo remotissimum reddunt. Orizonta autem ab hac sphæra nostra reijcimus, vt quæ sphæra potius extrinseca, quam intrinseca esse conspiciantur. Horum omnium speciales rationes suis locis initio capitis adducemus.

DISPV-

DISPVTABILIS SPHAERAE PARS PRIMA,

In qua elementare corpus consideratur.

De principijs primis, materia, forma, & priuatione. Caput primum.

1 
Lementarem sphæræ partem in præsenti consideraturi cum in ea elemētare corpus, seu mixtum cum Olimpiodoro, & Ianua subijci velimus, antequam ad eius species descēdamus, primo de elementis in genere agendum erit. & quia Aristotele teste initio primi Physicorum non contingit nos aliquid scire nisi principia prima causas primas, & vsq; ad elementa cognouerimus, ideo antequam ad eius proxima principia, & proprias affectiones sermonem nostrum conuertamus de primis principijs, vt materia, & forma mox de communibus affectionibus, vt motu, loco, & tempore, deinceps de primo efficiente, vt primo motore tandem de proximo nempe, cœlo tractatum instituemus.

2 Remota igitur huiusce corporis principia tria sunt materia, scilicet forma, & priuatio duo per se vnum vero per accidens.

3 Principia omnia illa sunt quæ ex alijs non componuntur,

tur, nec ex se inuicem, sed omnia ex his.

4 Principia insuper ab Aristotele contraria esse dicuntur.

5 Materia quæ naturalium omnium causa est quo ad esse, & quo ad fieri, est substantia imperfecta, & simplex varijs formis determinabilis.

6 Quare æqualem appetitum ad omnes formas habet, siue perfectas, siue imperfectas.

7 Infinitas tamen potentias, simul habere ad formas infinitas indiuiduales impossibile est.

8 Potentia vero ista secundum quam ad formas recipiendas apta esse dicitur de eius essentia non est, si Græcis potius, quam Arabibus credere velimus.

9 Quamuis autem corruptibiles formas continuo recipere possit, ipsa nihilominus, & incorruptibilis, & ingenerabilis perseuerat.

10 Nec per hoc à naturalis Philosophi consideratione excluditur cum naturalium omnium mutationum subiectum sit.

11 Præter materiam autem aliquam etiam substantialem partem ponere oportet, qua compositum fieri possit ea autem est forma.

12 Quæ actus est simplex formalis, vnum per se cum materia componens, propriarum rei operationũ principium.

13 Huius autem formæ nihil in materia præcedit ante eius introductionem contra antiquos, necnon Albertum tract.3.cap.3.

14 Hæc etiam vna cum materia, natura est ipsa magis tamen quam materia.

15 Vtraq; similiter indiuiduationis principium est magis tamen formà quam materia, vt Archangelo placet.

16 Pri-

16 Priuatio demum intrinſecum eſt naturalis productionis principium, non ſubiectum quidem, aut forma, ſed terminus à quo generationis.

17 Ex qua priuatione tanquam ex maximo defectu quodam materiæ ad formam oritur appetitus.

18 Quare hęc ipſa priuatio materiei annexa ex Ariſtot. primo Phyſicorum 80. ad corruptionem, & maleficium facit.

De Motu. Caput ſecundum.

1 HIS primo loco conſideratis nunc ad communes affectiones vertenda eſt conſideratio noſtra, & quia elementare corpus in motu eſt, & per motum in loco, & tempore, Ideo tres hæ præcipuè affectiones conſiderandæ ſunt.

2 Motus igitur ex Ariſtotele initio tertij Phyſicorum, actus eſt entis in potentia, prout in potentia.

3 Eius vero intrinſeca ratio eſt eſſe viam ad formam, ſeu fluxum formæ.

4 Quare motus omnis, vt à mutatione diſtinguitur in inſtanti fieri nequaquam poteſt.

5 Diuiditur autem motus quatuor in ſpecies videlicet in generationem, alterationem, augmentationem, & ſecundum locum mutationem.

6 Quorum ſpecifica vnitas à termino ad quem, non autem à termino à quo ſumenda eſt.

7 Numerica vero unitas ex numerica termini vnitate tēporis, & mobilis ſummi debet.

8 Ex his motibus generatio ſola in inſtanti fit reliqui vero omnes in tempore.

9 Augmentatio non ſimpliciter continua eſt, ſed in ali-

quo

quo quidem tempore continua esse potest.

10 In motu autem alterationis simul sunt alterans, & alteratum sicut in locali motu simul sunt mouens, & mobile.

11 Hic vero localis motus omnibus alijs motibus prior est.

12 Nec alius à locali motu perpetuus secundum numerum esse potest.

13 Circularis autem motus perpetuus esse potest. Et de facto circularis cœli motus primus æternus est, secundum Arist. principia, licet aliter secundū fidem, & veram Philosophiam dicendum sit.

14 Ex æterno motu deuenit Arist. ad motorem immobilem impartibilem, aliæ autem viæ insufficientes sunt.

15 Qui motor non finalis tantum vniuersi causa est, sed efficiens quoq; secundum eius principia.

16 Estq; infinitè virtutis, vt Arist. demonstratio probare videtur.

17 Ex quo conspicuo patet probare substantias abstractas esse Physici, non Metaphysici munus esse, vt Auicennas putauit.

De Loco, & Vacuo. Caput tertium.

1 MOtu æterno, & corruptibili considerato, nunc de altera communi passione nempe de loco, & eius priuatione nempe uacuo habenda est speculatio.

2 Et licet elementa ipsa de quibus nostra præcipuè est consideratio aliorum corporum quodammodo loca esse dicantur, nihilominus, & ipsa in loco esse necessarium est.

3 Cor-

3 Corporalia.n.& sensibilia omnia in loco sunt proprio abstracta vero nequaquam.

4 Vnde locata omnia à loco proprio conseruantur cum in eo conseruatiua virtus reperiatur.

5 Ex eo autem quod locum locatum conseruare dixerimus, nō sequitur quod sit forma, vel materia, vel spatium continentis, sed bene ipsum esse vltimum continentis.

6 Ex quo apparet locum esse vltimam superficiem corporis continentis immobilem primo.

7 Quæ definitio cum octauæ sphæræ conuenire non possit; ea non per se in loco dici debet.

8 Nec dicat quis non est in loco, ergo in vacuo, nam vacuum esse nedum necessarium non est imo falsum, & impossibile.

9 In illo.n.localis motus vllus ab animato, vel inanimato fieri posset.

10 Cum successio in motu grauium, & læuium ex medij resistentia causetur.

De Tempore. Caput Quartum.

1 Vltimo loco sese offert temporis consideratio, vtpotè dictis, & dicendis maximè vtilis, & necessaria.

2 Non.n.ens rationis est, vt quidem dicunt, sed reale esse habet.

3 Est.n.numerus siue formalis mensura motus, secūdum prius, & posterius.

4 Quare Tempus cum motu idem esse non potest, sed Tempus motum mensurat quatenus quantum quoddam est.

5 Est autem quietis mensura non per se quidem, sed per accidens.

6 Tempus verò primum quod aliorum causa est cum in motu fundetur vnum numero est, alia vero tempora nequaquam.

De Cælo. Caput quintum.

1 His ita breuiter animaduersis nunc ad proximum elementaris corporis principium efficiens, quòd cœlum est sermonem nostrũ conuertamus. Cœlorum namq; consideratio naturali Philosopho necessaria est, tum ratione sui, tum ratione etiam elementaris corporis, quod ab eo conficitur, & mouetur.

2 Si ergo in se cœleste corpus consideratur eiusdem naturæ non est cum inferioribus.

Non.n.graue, vel leue.
Generabile, vel corruptibile.
Augmentabile, uel minuibile.
Nec per consequens alterabile.

3 Quare nec illius motus corruptibilis est cum contrariũ ullum habere possit.

4 Imo cœli motus uniformis est, & regularis, cum sine labore, & fatigatione à sua anima moueatur.

5 Quæ cœli anima non illi quidem formaliter inheret, sed tanquam nauigio nauta assistit.

6 Mouetur autem cœlum ipsum ad hæc inferiora causanda, ut Methæororum primo dicebat Aristot. necesse est mundum, hunc inferiorem contiguum esse lationibus superioribus, ut omnis eius uirtus inde gubernetur.

7 Hinc

7 Hinc prouida natura fecit, ut plures in Cœlo reperirẽtur motus pro uaria rerum corruptibilium generatione.

8 Vltra motum autem, & lumen habet quo in hæc inferiora per se calefaciendo agit.

9 Præter lumen uero, & motum nullum aliud relinquitur instrumentum, quo in hæc inferiora agere possit.

10 Quapropter influentias secundum Aristotelem dari negamus.

De Elementis in genere.

Caput sextum.

1 DE communibus principijs, & affectionibus habita cõsideratione nunc ad Elementaris corporis principia proxima; quæ Elementa sunt uertenda est speculatio nostra. De his igitur in communi primo, deinde in specie, ut initio sphæræ polliciti sumus peragemus.

2 Dicitur Elementũ quasi alimentum, quod cuncta alat, & gignat, Dicitur etiam ab yle, quæ materia rerum est ex qua aliquid fit: unde declinatum uidetur Elementum.

3. Elementa autem corpora sunt simplicia, quæ in partes diuersarum formarum minimè diuidi possunt, ex quorum commixtione diuersæ generatorum species fieri possunt.

4 Hæc autem quatuor sunt, Terra, Aqua, Aer, & Ignis. Terra, & Ignis extrema, Aqua uero, & Aer media.

5 Fueruntq; à Philosopho per compossibiles primarum

qualitatum combinationes, & per eorundem naturales motus adinuenta.

6 Vnumquodq; autem duas habet qualitates (ualeant, qui dicunt ambas in summo) duas actiuas, duas uerò passiuas.

7 Harum qualitatum ope, mutuaq; inter sese actione, & passione ad inuicem quæq; transmutantur.

8 In habentibus tamē simbolum facilior est transmutatio.

9 Alteratrices autem hæ qualitates non Elementorum formæ sunt, ut placuit Alexandro, neq; motiuæ uirtutes, ut Auerroi, sed eorum formas latère, & innominatas esse defendimus.


10 Quæ formæ quęcunq; sint non uirtualiter tantum in mixto remanere dicuntur, sed formaliter etiam in esse tamen castigato, & remisso.

11 Quia uero Elementa ista à propria expelli sede, quandoq; contingit, hinc prouida natura motiuas qualitates illis est elargita quibus ad propria eorum loca continuò tendere possent.

12 Læuia ergo sursum mouentur, grauia uero deorsum, ubi tamen ad propria peruenerint loca nō grauitāt, neq; læuitant.

13 Nec in proprijs locis circulatiter moueri possunt, vt tuetur Plato in Timeo, & cum eo Ficinus super Timeum 25.

14 Motu quidem alterationis proprijs in locis moueri possunt cum ex altero vnumquodq; gigni doceat Arist. & ex duobus tertium, & ex omnibus mixtum consurgat.



De

Caput septimum.

1 Vinq; mixtorum genera reperiri experientia docet mixta nempe imperfecta, vt Metheoricæ impressiones in primo gradu. Lapides, & fossilia corpora in secundo; Vegetabilia in tertio, sensitiua in quarto, homines deniq; in quinto, & supremo gradu continentur.

2 De primo, & secundo mixtorum genere agit Arist. in libris Methęororum, de reliquis verò animatis in libris de anima tractatum habet.

3 Quare Mixtū animatum in huiuscemodi libris pro subiecto statuitur ab Aristotele.

4 Ex quo sequitur contra Simplicium talem animæ tractationem non Mathematicam, vel Metaphysicā, sed purè naturalem esse.

5 Est autem anima actus primus corporis Physici organici potentia vitam habentis.

6 Dixi actus primus, quia duo sunt actus, primus. s. & secūdus, hic tamen nequaquam substantia est, vt moderniores quidam tueri videntur.

7 Quamuis autem in communi anima definita sit, actus tamen non vniuocè, sed analogicè de sensitiua, & intellectiua prædicatur.

8 Cum intellectiua anima inorganica sit, cæteræ verò organicæ ad corporis extensionem extensæ, & ad diuisionem diuisibiles.

9 Quarum potentiæ non nisi ratione ab eorum essentijs distinguuntur.

10 Et vt hæc breuiter percurramus, vegetatiuæ obiectum alimentum est, licet contrarium alito esse dicatur.

11 Eius

11 Eius autem tres sunt præcipuè operationes nempe generare, nutrire, & augere.

12 Viuentibus.n. proprium est generare sibi simile pro specierum conseruatione.

13 Cumq; ex putri genita sibi simile procreare nõ possint alterius speciei iudicari debent.

14 Sensitiuę vero obiectum sensibile in communi esse docent Arist. expositores.

15 Habetq; tum internas, tum externas uirtutes, quæ diuersorum obiectorum ratione inter se distinguuntur.

16 Externi sensus obiectum, & medium necessario requirunt, vt sensationem faciant. alij quidem externum tantum, ut olfactus, auditus, & uisus, alij uero externum, & internum, ut Tactus, & Gustus.

17 Externis sensibus succedit communis sensus à quinq; exterioribus omnino distinctus, cuius officium est inter obiecta diuersorum sensuum discrimen ponere.

18 Huic succedit imaginatio, seu cogitatiua cuius munus est circa sensibiles species à communi sensu oblatas absentibus etiam externis sensibus uersari, easq; ad inuicem conferre, & ex sensatis species ellicere non sensatas.

19 Intellectiua deniq; anima circa intelligibilia omnia versari potest, vnde ab omnibus est denudata, vt omnia possit commodè recipere, ac intelligere.

20 Quare cum noster hic intellectus intellectum agentem fuerit adeptus, quæ summa est, & adæquata perfectio inquit Auer. poterit tunc abstractas quoq; substãtias contemplari.

De



Ametsi ex principiorum, & affectionum consideratione, necnon ex mixtorum corporum animaduersione Elementaris corporis perfecta, atq; expleta cognitio haberi posset, nihilominus vt exquisita magis habeatur de his, quæ cuilibet elemento specialiter contingunt erit consideratio nostra, & vt à nobis proximioribus exordiamur post animati corporis considerationem, Terra ipsa omnium inferior se primo offert consideranda. Ipsa.n. veluti animal quoddam videtur, ad similitudinem namq; animati corporis habet pro ossibus lapides, pro venis, & arterijs, cauernas, & meatus, intra riuulos sanguinis vinum quòd producit, pro corde, & pulmone illa nobilissima nutriens metalla auri, & argenti, extra pro pilis exhærens herbas, pro excrementis vero quædam inutilia habens.

1 EST igitur materia sua Terra hæc de qua loquimur sicca, & frigida, sicci magis, tamen
2 quam frigidi habet.

Estq; vniuersi centrum cum in mundi medio immobilis sit situata, contra Philolai opinionem, qui stante cœlo terram circumuolui dicebat.

3 Quatitur tamen quandoq; Terra à terremotu, qui causari solet à ventis, seu vaporibus siccis intra terram inclusis, & à calore Solis calefactis, atq; impulsis, quibus quatitur, & mouetur dum exitum quærunt.

4 Fit

4 Fit autem Vere magis, & Autumno, quam Hyeme, & AEstate, magisq; in locis densis, ac duris, quam Arenosis ex Arist. secundo de plantis.

5 De signis autem Terræ motus disputare vanum esse putamus, tum quia, vt plurimum Astronomica sunt, ut aspectus mali errantium syderum Iouis.s.& Martis in aliquo signorum terrestrium, vt Tauro, Virgine, & Capricorno, tum etiam, quia quæ Physica sunt vix probabilia ab omnibus iudicantur.

6 De Magnitudine quoq; Terræ disputare potius ad Cosmographum, quam ad Phylosophum spectat; ideò hæc, & alia inutilia reijcienda esse existimauimus.

De Aqua. Caput Nonum.

1 TErræ succedit Aqua, quæ licet à Terra omnino distincta sit, unumq; se ipsa conficiat Elementum attamen terræ adeò coniuncta est, & copulata, ut eius pars ab omnibus uideatur; si.n. Terrã infoderis uelut ad uulnus sanguis, & ad mammas lac aqua concurrit.

2 Ipsa nihilominus propriam figuram nempè sphęricam habet, & sub Terra non nisi quatenus utilis est hominibus occultatur, ex Strabone lib. 7. Geographiæ.

3 Est autem natura sua frigida, & humida, minus tamen humida, quam frigida.

4 Estq; natura sua omnis expers odoris, & saporis, diuersorum tamen odorum, & saporum receptibilis.

5 Vnde reperiuntur aquæ dulces, acidæ, amaræ, uiscosæ, aluminosæ, piceæ, unctuosæ, sallæ, sulfureæ, & uenenosæ.

6 Neccum omni tempore aquæ maris salsedo inexistat

illi

illi connaturalis iudicari debet cum id non per se, sed per accidens contingat.

7 A radijs namq; & calore Solis vapores terrestres adusti ad aquæ superficiẽ attrahuntur, atq; ita aquæ inficiuntur cum in earum superficie dispergantur.

8 Quidam vero fontes salsi fiunt non hoc modo quidem, vt de mari dictum est, sed ex transitu aliquo terræ.

9 Præter salsedinem autem aliam affectionem habet ipsum Mare quòd fluxum, & refluxum à Lunæ motu continuo patitur.

10 Ex natura namq; sua habet duntaxat, vt ad decliuiorẽ partem decurrat non quod fluat, vel refluat, Quare eo motu excepto, qui est ab Aquilone ad Meridiẽ nullus alius motus illi connaturalis erit.

11 Ab hoc Mari ortum habent flumina magna in deficiẽtia, quædam vero pro specialissimo, habent principio in terræ visceribus inclusum aerem propter terræ frigiditatẽ inspissatum, & in guttulas ad vnum locũ descendentem.

12 De salubribus autẽ, & nociuis aquis disputare ad Medicum potius quam Philosophum spectat. sicuti quę, & quot sint maria, & per quas regiones decurrant inuestigare Cosmographi munus est.

De Aere. Caput decimum.

1 POst Aquam sequitur Aer qui hominibus maxime, cæterisq; animantibus necessarius est, tum propter respirationem sine qua vita esse nõ potest, tum etiam, vt in eo Metheoricæ impressiones ille fieri possint, quæ vtilitati humanæ

manæ maxime conducere videntur.

2 Quare hac de causa cæteris elementis Aer humidior est,& molior Galeno teste cum propter respirationē, tum etiam,vt in nubem citius rorem,& pluuiam con uerteretur.

3 Nihilominus calidus quoq; est aer,habetq; in hoc maximam cum igne simboleitatem.

4 Vnde hac eius temperata natura falso voluerunt quidam animantia,quædam solo aere viuere posse.

5 Licet.n.corruptus, & putridus aer per se causa interitus animalis dum attrahitur esse possit, nihilominus se solo aer purus, & incorruptus non valet sine alio quoq; cibo ab interitu præseruare.

6 Huius aeris tres sunt regiones infima prope terram, & aquam,media,& suprema igni contigua.

7 Infima regio maxime Solis,& Lunę motu alteratur,un de AEstate callida, Hyeme frigida, alio tempore interdum temperata.

8 Media regio natura sua calida est,frigida autem quoniam vtraq; causa calorem faciente destituitur.


9 Suprema autem calida est sphęræ ignis propinquitate, & à frigidis elementis remotione.

10 In tribus autem hisce regionibus ex vapore calido, & humido,& exhalatione calida ,& sicca omnium Methæoricarum impressionum genera fiunt. Infima ventis tamen maximę omnium subiecta est.

11 Media vero ab humidis impressionibus, vt niuę, rore, & nubæ continuè alteratur. Suprema deniq; igneis, vt cometis capreis saltantibus, cæterisq; huiusmodi locum præbet.

12 Quomodo autē horum,vnumquodq; generetur credi derim ego in disputationem vertendum non esse cum non nisi leues de his existant dubitationes.

DE

1  Ametsi de his, quæ eminus sunt, atq; a sensibus nostris remotissimis ex Arist. primo cœli difficile sit iudicare, attamen nusquam dubitari potest ignem in concauo orbis Lunæ collocari.

2 Nec cum Platone dicant cœlum ipsum pro igne stare, & quartum elementum esse, falsissimum namq; esse ex lib. cœli obseruari potest.

3 Si.n. igneum esset inferiora, hæc omnia ab eo penitus vrerentur.

4 Quare cum alterius naturæ, & materiæ sit ab elementis, neq; igneum est, neque ab igne igniri potest.

5 Ignis namq; pro inferiorum generatione non pro superiorum corruptione à natura effectum est.

6 Vnde dicebat Cicero 2. de nat. Deo. calore cuncta viuere, eoq; refrigerato extingui omnia.

7 Similiter Galenus, & Hippocrates ignem vim habere vitalem in omni re, quæ viuit, & generationis principium esse tradiderunt.

8 Siq; ita Hippasus, & Heraclitus ignem rerum omnium principium esse dicentes intellexerunt, merito tueri possunt.

9 Quamuis autem una cum alijs ad mixti generationem concurrat ignis, ipse tamen sterilis omnino est, nec in uniuerso animal reperitur quòd, vel modicũ quidem in eo uiuere possit.


10 Tribus autem modis fit ignis motu, siue cœlestiũ corporum, siue attritione lapidum, propagatione dum fomenta igni adduntur, & coitione, ut fit speculis cõcauis radijs solaribus oppositis.

11 Diuiditur autem ignis duas in regiones, quarum supe
rior calore, & siccitate inferiorem superat.

12 Ipse uero ignis tripliciter distinguitur nempe in luce, flamma,& carbonibus in luce est in sua sphæra,in flāma est in aere accenso,in carbonibns autem in terrea materia esse conspicitur.

Alia quàm plurima de igne,alijsq; elementis disputari possent,attamen breuitatis causa ad alia longè utiliora,longeq; digniora considerationem nostram reuocare duximus.

Explicit Pars Prima.




DISPVTABILIS SPHAERAE

Pars Secunda.

In qua Ætherea, atq; Diuina pars consideratur.

LVNA.



Er elementa quasi per gradus quosdam ad æthercam, & diuinam sphæram peruenit consideratio nostra in qua corruptibilis motus, ac materiæ sordibus relictis diuina tantum longè his præstantiora, longèq; digniora speculabimur. in primisq; Ecclesia, sub Lunæ orbe constituta nobis sese offert consideranda. Quemadmodum enim Luna à Deo rerum omnium initio, vt noctis tenebris præesset effecta est, ita Ecclesia ipsa fidei lumine ad ignorantiæ tenebras effugandas à Deo instituta est, vtq; ex lumine Lunæ non nisi obscuræ, & adumbratæ videmus, ita Ecclesiæ lumine, quæ fides est, non nisi per speculum, & in enigmati inquit Paulus videre possumus: vtque Luna ipsa a Solis lumine illustratur, ita Ecclesia à Christo iustitiæ Sole illuminatur. Et veluti Luna paulatim augetur, ita Ecclesia tum sanctis moribus tum fidei cognitione perficitur

citur quotidie magis. Insuper Luna ex D.T. super decimo Psalmo per reuolutionem fit obscura per Ecclypsim sanguinea, & per nubem nigra. Non secus Ecclesia obscura fit deficientibus doctoribus sanguinea tyrannorum persecutione, nigra denique hæreticorum seductione. ut igitur hæreticorum nebulæ euanescant cõtra ipsos de nomine diffinitione, ac proprietatibus eius disputabimus.

De Ecclesia. Caput primum.

1 QVo ad primum igitur Ecclesiæ nomen apud Tertullianum, Cyprianum, Hieronymum, & Augustinum frequentissimum analogum est cum de triplici Ecclesia videlicet, triumphante, purgante, & militante analogicè prædicetur.

2 Militans Ecclesia, de qua præcipua nostra est in præsenti consideratio, est hominum cętus eiusdem fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatus, sub regimine vnius capitis Christi in cęlis, & Vicarij eius in terris.

3 Ex quo colligitur ab Ecclesiæ gremio seiungi non baptizatos, hæreticos, apostatas, schilsmaticos, ac etiam excommnnicatos.

4 Ecclesiæ uerò proprietates sunt, quod sit una, Sancta, Catholica, & Apostolica.

5 Hocq; habet peculiare cum columna sit veritatis ad Tim. 3. ut in fidei doctrina errare non possit.

6 Imo nec per ignorantiam aliqua de fide esse, quæ re uera non sunt, asserere potest.

7 Cumq; ex ouibus, & pastoribus, ex doctoribus, & indoctis Ecclesia cõstare dicatur, simul oẽs doctores, & pastores in fidei rebus definiendis errare haud possunt.

8 De

8 De causis uerò Ecclesiæ obseruandum est Christum, ut Deum causam esse efficientem, meritoriam autem, ut hominem ineffabili gratia sua.

9 Vnde his de causis Ecclesiæ caput dicitur ad Ephes. primo ipsum dedit caput super omnem ecclesiam.

10 Instrumentales vero causæ sunt sacramenta, de quibus infra, materialis sunt fideles omnes, formalis uerò mutua Christi inhæsio, & Ecclesiæ, ita exponente Paulo erunt duo in carne vna.

11 De Ecclesiæ autem initio, & fine dicimus ab Abele iusto cępisse, usq; ad mundi finem duraturam. tūc enim perficietur, & glorificabitur.

12 Ecclesia Triumphans si pro Angelorum congregatione sumatur eo instanti cępit, quo fuerunt ipsi in gratia confirmati, tunc enim ex diuinæ essentiæ intuitu beati facti sunt.

13 Si uerò pro hominum collectione sumatur post Christi passionem initium habuit, tunc enim hominū spiritus, qui corpore soluti erant, quiq; nulla purgatione egebant ad fruendam beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, fuerunt admissi, hoc tamen potius simpliciter credere, quam disputatiuæ tueri uolumus.

De purgante demum Ecclesia non agimus in præsenti, cum de ea sub Sagittarij signo nōnulla dicturi simus.

De Sacramentis. Caput secundum.

1 Via sacramenta ipsa instrumentales Ecclesię causas esse diximus, ideò non est de ipsis breuis aliqua prætermittenda considera-tio. nostra enim sacramēta tametsi ab Hebræo-

bræorum ſacramentis in numero excedantur in uirtu te tamen,& efficacia nequaquam.

2 Illa enim ex opere (ut dicitur) operantis Circuncisione excepta, nostra vero ex opere operato sanctificationem efficiunt, non formaliter quidem, instrumentaliter tamen.

3 Ex quibus tria indelebile signum in anima imprimunt quo vt qualitate, siue etiam relatione, ut Scotus militiæ Dei ſubſcribimur.

4 Ex quibus unum eſt Baptiſma, quo renaſcitur homo, fitq; noua creatura.

5 Ad ſalutem adeo neceſſariam, vt ſine ipſius ſaltem in uoto ſuſceptione ſaluari nemo poſſit.

6 Infantes enim ſine hoc ſacramento decedentes ſenſus quidem pœnam effugere poterunt, damni tamen nequaquam.

7 Huius materia eſt naturalis aqua, forma, ego te baptizo & cæt. miniſter quilibet viator eſſe poteſt, dummodo intentionem habeat id agendi, quod Eccleſia agit.

8 Ex quo patet excludi Angelos, necnon animas à corporibus ſeparatas, etiam qnod corpora aſſumerent, contra ſubtilem doctorem.

9 Baptiſmo ſuccedit confirmatio pro materia oleum habens balſamo admixtum, pro forma vero conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis & cæt. Miniſter ſolus eſt Epiſcopus, cōtra Richardum Armachanum, alij vero per diſpenſationem, contra Bonauenturam, & Dur.

10 Præter hæc quæ enumerauimus ſacramenta, aliud longè nobilius, longèq; præſtantius Eccleſiæ ſui reliquit Chriſtus, corpus nempè ſuum in eſcam, & potum animarum noſtrarum.

11 Hoc autem primo in vltima cœna, ſub panis, & uini ſpecie.

speciebus confectum est, utrumq; enim huius sacramenti materia est, forma verò hoc est corpus, hic est calix, vt in canone habetur. 17

12 Quibus verbis à solo Ministro vero, vt Sacerdote prolatis, panis, & vini in corpus & sanguinem. Christi fit trãsubstantiatio.

13 Pœnitentia quoq; verè, & propriè est sacramentum ab alijs omninò distinctum: cuius materia actus sunt pœnitentis, forma verò Sacerdotis absolutio.

14 Tresq; habet partes essentiales contritionem, nempè confessionem, & satisfactionem solo Durando contradicente.

15 Est insuper Extremæ vnctionis Sacramentum ad peccati reliquias, necnon, & morbos (si saluti expediat) auferendos institutum.

16 Cuius materia est oliuæ oleum ab Episcopo consecratum, forma verò per istam sanctam vnctionem, Minister ex Iacobo Sacerdos esse debet.

17 De ordine autem hoc præcipuè cum Altisiodorensi, & Scoto, annotamus eos decipi, qui Episcopalem ordinationem sacramentum esse negant.

18 Quemadmodum etiam contra Durandum non æquiuocè, sed propriè Matrimonium Sacramentum esse defendimus ad sobolis propagationem, & fornicationis remedium institutum.

19 Hæc itaq; sunt sacramenta, quæ Christus dilectæ sponsæ suæ reliquit Ecclesiæ, vt his mundaretur, ac sanctificaretur pro beatitudine vltimo hominis fine consequenda.


20 Ex quo correlariæ elici potest beatificabilem hominẽ, vt beatificabilem in hac facultate subiectum esse, cum ad ipsum omnia tanquam ad centrum lineæ referantur.

MERCVRIVS.



Eluti Lunæ Mercurium succedere meliores Astrologi scriptum reliquerunt, ita Ecclesiæ tractationi Romani Pontificis subnectendam esse considerationem acutiores Thæologi scriptis comprobarunt, ut enim Lunæ Mercurius ita Ecclesiæ Pontifex veluti caput superponitur, utq; Mercurius nunquam à Sole ipso, vel signo uno elongari potest, cum semper sub Zodiaco moueatur, ita Pontifex summus à Christo iustitiæ Sole in fidei rebus definiendis, nec unguem quidem aberrare potest. Utq; Mercurius ipse pro Iouis nuncio antiquitus habebatur, ita Pontifex Summus non fictè quidem, sed diuinæ mentis interpres re vera existimatur. Omitto Mercurij virgam serpentibus decoratam. canemq; ab Ægyptijs illi dicatum, cum quisq; per virgam Romani Pontificis auctoritatem, per serpentes prudentiam, per canem deniq; vigilantiam pro Ecclesia tuenda, ac gubernanda, intelligere possit.

De Summo Pontifice. Caput tertium.

1 

Rimò igitur necessarium est vnum in Ecclesia principem dari nō propria virtute quidem, & meritò, sed Christi uice influentem quæ ad hostes vincendos, & ad patriam perueniendum peregrinæ Ecclesiæ necessaria sunt.

2 Hicq;

2 Hicq; Summus est Pōtifex vniuersalis Ecclesiæ pastor, Vicarius Christi in terris, & Petri Apostoli in prælatione successor.

3 Summoq; consilio à Christo in Ecclesia primatū hoc institutum est, cum maxime illi vtilitati sit, eiusq; vnitati omnino respondeat.

4 Quare uni tantum uidelicet Petro omnium primo catholicæ Ecclesiæ tribuit Monarchiam.

5 Succeditq; Petro Romanus Pontifex non solū in Episcopatu Romano, sed in vniuersæ etiam Ecclesię principatu.

6 Plenissimam habens potestatem in vniuersum terrarū orbem, nedum in Ecclesiasticis, verum etiam in polliticis rebus.

7 Ideo coactiuam habet iurisdictionem, vt possit leges condere, quæ obligent in conscientia, potestq; iudicare, necnon punire transgressores.

8 Potestq; controuersias fidei, & morum iudicare, estq; hac in parte infallibile iudicium eius.

9 Quare hæresim sapit si consuetudinem aliquam uniuersalem malam, legemq; aliquam à Pontifice prolatam iniustam esse dicamus.

10 Penitusq; à fide nanfragant affirmantes Pontificē Sūmum in fidei rebus definiendis errare posse.

11 Quamuis autem Cardinalium consultatio fidei definitioni præmittenda sit, adeò tamen necessaria nō est, vt sine ipsa Pontifex errare possit, ut falso tuetur Alphons. de Castro.

12 In fide quoq; non minus hæsitant inficiari uolentes Pontificem non posse indulgentias conferre, Sanctos canonizare, religiones approbare, Episcopos confirmare, atq; Concilia congregare.

1 Vm in calce præcedentis capitis dictum sit Conciliorum congregationem, siue confirmationem ad Pontificem pertinere; ideò non inutilis erit aliqua de Concilijs consideratio.

2 Conciliorum namq; originem non planè humanã, & naturali ratione excogitatam, ut Albertus Pigius cõtendit, sed diuinam esse probabiliter sustinemus.

3 Quatuor autem Conciliorum genera esse possunt, Generalia, Nationalia, Prouincialia, & Diocesana.

4 Diuiduntur etiam in approbata, & non approbata, in approbata secundum totum, & in reprobata secundũ partem, sed quæ sint hęc demonstrare, atq; ab argumentis uindicare, nostræ non suppetunt uires.

5 Congregandorum Conciliorum sex possunt esse causæ, prima, hæresis noua consurgens, nusquam iudicata, secunda, schisma inter Romanos Pontifices, tertia, resistentia communi hosti totius Ecclesiæ, quarta, suspicio hæresis in Romano Pontifice, quinta, dubitatio de electione Pontificis, uel nimia mora eligendi, ultima est reformatio abusum, & uitiorum, quæ in Ecclesia irrepunt.

6 Ex quo patet utilem esse imo necessariam toti Ecclesiæ Conciliorum congregationem.

7 In Concilio uerò licet conuocentur multi, tum clerici, tum laici, Episcopos tamen duntaxat ius habere suffragij decisiui ordinariè, alios autem ex priuilegio, & consuetudine sententia Catholica est.

8 Insuper Concilia vniuersalia, siue particularia à Pontifice approbata errare non posse sustinent Catholici omnes.

9 Con-

9 Concilia uero particularia a Pontifice non approbata non certam fidem facere conspicuum est.

10 Ex quo patet pro huiusce materiæ determinatione, Põtificem supra concilia esse non ècontra, ut quidã nõ hæreticæ quidem, sed temerariè, atq; scandalosæ opinantur.

VENVS.



E duplici Cœlo Lunæ scilicet, & Mercurij cum materialibus rebus simbolum habentibus hactenus prolixum sermonem habuimus; nunc autem ad tertium cœlum vsque peruenturi sumus in quo Dei arcana, quæ nisi summo honore, summaq; habita reuerentia mortali homini loqui licet, videre poterimus. In eo namq; de diuina Gratia Veneris similitudinem præseferente locuturi sumus, Cum enim Venus ipsa Dea gratiæ existimetur, non debuit alio profecto in loco, quam sub Venere collocari. Veluti enim qui corporeæ gratiæ à cœlesti Venere influxum recipiũt, omnium oculos ad se conuertunt, omniumq; animos sibi conciliant, ita qui diuinæ gratiæ radio illuminantur, nedum mortalium hominum, verum quod maius est ipsiusmet Dei oculos ad se alliciunt. Et quod dictu mirabile est, veluti Venus ipsa in Libra dominium habet, ita diuina gratia in viris iustis, in quibus ad pondus redactæ sunt passiones dominatur, quod ex conclusionum seriè clarissime apparebit.

De

1 DE Gratia igitur locuturi primo obseruandum censeo gratiam multipliciter diuidi posse. Prima uero sui diuisione in naturalem, & supernaturalem diuidi potest. Supernaturalis uerò alia uiæ, alia patriæ. Supernaturalis uiæ alia gratum faciens, alia gratis data. Gratia gratum faciens, alia incipiens, alia operans, alia cooperans, alia deniq; perficiens, quæ tamen omnes eædẽ numero sunt.

2 Est insuper gratia legis naturæ, legis scriptæ, & legis euangelicæ, quæ omnes tametsi, secundum magis, & minus specie tamen differre non possunt.

3 De gratia uiæ, & patriæ maior apparet difficultas, attamen, & ipse nedum specie, uerum numero etiã vnum, & idem sunt.

4 Distinguitur tamen gratia gratis data à gratum faciente, quod illa cum peccato stare potest, hæc uerò, siue patriç, siue uiæ nequaquam.

5 Huius rei ratio esse potest, quod gratia gratis data ad uniuersalis Ecclesiæ bonum homini primo datur ẽcõtra gratum faciens ad bonum sui primo, ad alterius uero bonum non nisi secundario.

6 Datur autem huiuscemodi gratia nedum pro præsenti iustitia, uerum etiam, ut scripturæ testantur pro futura gloria.

7 Ex quo apparet gratiam gratis datam esse habitum infusum, siue motum à Deo in mente ministri causatũ, ut pro persona loco, & tempore ad alterius bonum eo uti possit.

8 Gratia uerò gratum faciens est non illa Spiritus sancti inexistentia animam Deo gratificans, aut relatio aliqua

aliqua Dei in filiationem acceptantis.

9 Sed est quid creatum,& infusum à Deo animę iusti, per modum qualitatis habituantis inhærens, peccata abluens uirtutibus ornans, reddensq; eam diuini amoris dignam pro uita æterna consequenda.

10 Oritur uero gratia hæc, suumq; existere recipit, nō per creationem, uel concreationem, ut Tomas tuetur, sed per emanationem ueluti lumen.

11 Nec annihilatur Bonauenturæ pace, sed simpliciter desinit esse.

12 Quia uero accidens omne suum subiectum habet ideò gratiæ subiectum primum, & immediatum animæ essentiam esse dicimus, non autem potentias, ut Durandus, & Scotus.

De utilitate, necnon necessitate gratiæ gr. fac. Caput sextum.

1 TAmetsi ex his quæ diximus possit gratiæ utilitas, ac necessitas apparere nihilominus. Gratiam ipsam ad salutem adeo necessariā esse affirmamus.

Ut sine illa neminem unquam iustificari posse ex scripturis clarissimè comprobetur.

2 Imò hac gratia destituti, nec peccatorum remissionem ex meritis nostris possumus adipisci.

3 Credimus tamen opera facta in gratia sibi ipsi iustificationem pro mereri si contingeret eum ob peccatum aliquod ab ea decidere.

4 Verum, nec per se tantum existens in Dei gratia impetrare potest, sed pro peccatore etiam si pro eius salute orare uoluerit.

5 Si

5 Si vero pro existente in gratia, idem orare uoluerit illi gratiæ augmentum impetrabit.

6 Verum sicuti gratia informatus, multa acquirit bona, nedum sibi, sed alteri etiam ita hac gratia expoliatus, vltra quòd damnationem incurrit, non potest etiam pace Scoti se à peccatis abstinere.


7 Imo in peccato existens non potest se ad præuenietem gratiam disponere, contra Thomam, & Scotum.

8 Existens uero in puris, naturalibus etiam influxu generali nō potest primam mereri gratiam, nec de cōgruo, nec de condigno contra eosdemmet scholasticos.

9 Nec eodem simplici influxu generali pōt diligi Deus super omnia licet, reclamet subtilis Doctor.

10 Qui igitur gratiam se credit habere dicat, unà cū sponso tenui eam, nec dimittam, qui vero ea caret reassumere quamprimum quærat, sicuti.n. tenetur, quisq; acceptam gratiam conseruare ita amissam tenetur, quamprimum recuperare, contra Sotum.

SOL.



Ost diuinæ gratiæ considerationem ad Christum redemptorem nostrum, tanquam ab effectu ad causam peruenire statuimus, vt.n. à Sole tanquàm à fonte omne emanat lumen, omnisq; diffluit calor, ita à Christo luminis gratiæ plenitudinem habente omnis dimanat gratiæ influxus. qua de re Diuinæ scripturæ modo iustitiæ Solem, modo mundi lucē omnem hominem in hunc mundum venientem illuminan-

nantem appellant. Sol.n.quandoq; propè, quandoq; long à nobis dicitur, non aliter Christus in veteri testamento longè erat, quia excelsus, occultus, & dilatus inquit D. T. in prologo Isaiæ in nouo autem testamento triplici opposito modo propè dicitur, vtq; Sol omnibus astris splendidior est, ita Christus Patris imagine, Sanctorum lumine, gloriæ plenitudine, & doctrinæ pulchritudine lucidissimus est. Vtq; Sol radiorum pulchritudine splendore figura colore, & ornatu ijsdem astris formosior, dicitur ita Christus splendore diuinitatis. figura vnionis, colore virtutum, & ornatu conuersationis formosissimus est.

Quia verò non semper æqualiter circa inferiora se gerit hic planetarum Princeps, sed pro motuum in Zodiaci signis varietate, varios quoq; in inferioribus effectus producit, ideò, vt iustitiæ Solis diuersi nobis effectus innotescant eum in vnoquoq; Zodiaci signo considerabimus, in hoc potius doctrinæ ordinem, quam Solis motum insequentes.

SOL IN VIRGINE.

CHristus igitur qui Soli assimilatur, non in primo Zodiaci signo, nempè Ariete, sed in Virgine primo moueri cæpit.

De descensu Christi in virginē. Cap. 7.

1 PRimum hunc motum negarunt Anabaptistæ dicentes Christum veram carnem ex virgine desumptam non habuisse.

2 Quidam uerò Solem hunc in Virgine fuisse

concedunt, docent tamen eius corpus ex patris substantia in virginis vtero cęlitus delatum esse.

3 Quare dicere cogebantur Christum Dominum ratione humanitatis uerum esse Deum, quæ omnia quàm falsa sint, quisq; facile iudicare potest.

4 Falsissimum insuper est Eutychetis dictum Christum, quidem in uirgine fuisse ex ea tamen non ueram, sed fantasticam carnem assumpsisse.

5 Non minusq; à ueritate abhorret, quòd Pelagiani docuerunt, purũ nempè hominem de Maria natum esse, eundemq; suis meritis anno 33. factum esse Christum post passionem uero factum esse Deum.

6 Hoc enim dicentes Christum Dei filium, & Virginem Dei genitricem esse negabant.

SOL IN GEMINI.

HAEreticorum sententijs reprobatis constare facile potest Christum ipsum in Virgine fuisse ad veram non fantasticam carnem assumendam, eodem quoq; fundamento, Christum in Gemini fuisse probatum relinquitur. Si .n. vere hominis naturam assumpsit ex gemina, profectò natura vnus consurrexit Christus.

De Gemina Christi natura. Cap. 8.

1 NOn desunt tamen, qui diuinã hanc astronomiam negantes dixerint, verbum carnem factum esse, atq; ita vnicam tãtum per conuersionem diuinitatis in carnem naturam habuisse.

a Ne-

2 Nestoriani uero hoc aufugere uolentes in deteriora inciderunt, quippe qui dixerint Dei Filium, filio hominis accidentaliter vnitum fuisse, sicuti virum, & mulierem unam esse carnem dicere consueuimus.

3 Catholica vero fides, post eius incarnationem duas integras, & perfectas naturas, diuinam. s. & humanam in eo agnouit, quæ sine ulla confusione, uel per mixtione in una persona uerbi subsistant.

4 Vniri ergo hypostaticæ Deum, & hominem ē naturam humanam non habere propriam subsistentiam, sed à verbo æterno assumptam esse ad ipsam verbi subsistentiam.

5 Hocq; quam conuenientissimum fuerit quamq; necessarium ob humani generis reparationem exitus comprobauit.

6 E medio aūt ablato peccato, neq; necessariū, neq; conueniens existimari potest iuxta illud glossæ vulgatissimum dictum, tolle morbos, tolle vulnera nulla relinquitur medicinæ causa.

SOL IN CANCRO,

Estiuale solstitium terminans.

DVo autem solstitia in duobus signis cancro. s. & Capricorno, vnum in ortu, alterum in occasu, vna cum Sole terminauit Estiuale, quippe solstitium in Cancro, quòd retrogredum animal est, voluit terminare dum charitatis calore feruens adeò retrocessit, vt in hac miseriarum valle homo factus ex virginis vtero progredi voluerit, non homini quidem, sed vermi potius comparatus iuxta

 illud

illud Dauidis vaticinium ego sum vermis, et non homo, Hyemale vero eius morte, ut sub Capricorno dicetur terminauit.

De Natiuitate Christi. Caput nonum.

1 CVm duæ fuerint in Christo naturæ, duas quoq; illi natiuitates, æternam. s. qua æternaliter à Patre processit, temporalem uerò, qua temporaliter à matre natus est tribuere necesse est.

2 Ex quo sequitur duas in Christo fuisse relationes reales, altera qua ad patrem, altera uerò qua ad matrem referri posset.

3 Quare secundum hanc temporalem Christi natiuitatē Beata virgo eius mater congruè dici potest.

4 Corpus. n. de Virgine sumptum ex purissimis eius sanguinibus formatum est.

5 Nihilominus dolorem vllum in ipso concipiendo, siue pariēdo nō persensit, imò maxima est iucūditate affecta cum Deum, & hominem se peperisse cōspexit.

6 Illum autem in Bethleem congruo peperisse tempore docent scripturæ, quia sicuti matrem, ita etiā locum, & tempus eligendum putauit.

SOL IN PISCIBVS.

CAEpit vero in piscibus dominari (vt Astrologorum more dicendi vtar) quando dulcedine verbi sui, quasi esca, & hamo cæpit homines expiscari, dicuntur, namq;

namq; homines à Christo pisces, iuxta illud Apostolis, faciam vos fieri piscatores hominum, dabo namq; vobis rete, & hamum quia dabo vobis os, et sapientiã quibus ex iniquitatum aquis homines, quasi pisces extrahere poteritis.

De prædicatione Christi. Cap. 10.

1 Hoc autem prædicandi munus non nisi ętate perfecta voluit exercere, vt omnibus in rebus decentiam obseruaret.

2 Debuit autem Iudæis primo non gentibus prædicare, ut in ipso adimpletas fuisse ostenderet patrum promissiones.

3 Debuitq; Scribis, & Pharisæis saluti omnium aduersantibus, non obstante eorum offensione publicè prædicare, eorumq; errores redarguere.

4 Voluit autem publicè prædicare, quia doctrinam suã scripto tradere non licebat, sed auditorum animis totis viribus inserere.

5 Alijs uerò, vt discipulis eius hoc conueniens fuisse non negamus.

6 Quare merito repræhendit Aug. primo de consensu Euangel. Gentiles aliquos existimantes Christum libros quosdam conscripsisse, magica quædam quibus miracula faciebat continentes.

SOL IN TAVRO.

Postquam in piscibus per prædicationem suam moueri desijt, per miraculorum ostensionem in Tauro moueri cæpit,

cæpit, vt.n. Taurus cornuum virtute omnium ferè animantium vires obtundit in illisq; præcipuam sui corporis fortitudinem ostendit, ita Christus diuinitatis cornu sæpissimè aduersariorum impetus inanes reddidit, eiusq; omnimodam fortitudinem per miraculorum manifestationē patefecit, hoc clarissime animaduertit D. Bon. in prologo sent. illud exponens Abachuc 5. cornua in manibus eius ibi abscondita est fortitudo eius, de Christo inquit exponendum venit in quo latuit fortitudo veritatis, sub palio infirmitatis.

De miraculis Christi. Cap. 11.

1 COrnua igitur habuit in manibus eius ex Abacuch, quia poterat quocunq; tempore sibi placitum erat miracula facere licet, nō nisi in ætate perfecta, vt in nuptijs ad decētiam facere uoluerit.

2 Hocq; ad eius doctrinam confirmandam, & diuinitatis testimonium ostendendum expediebat.

3 Quare non mira, & secundū apparētia, vt dęmones, uel mali homines faciunt, sed uerè miracula diuina uirtute facta fuisse firmiter tenendum est.

4 Quæ cum ita essent eius diuinitatis sufficientia testimonia esse poterant.

5 Miracula namq; operatus est nedū, circa irrationabilia verū ēt circa hōies, nechō circa spirituales substātias.

6 Hocq; maxime decuit, tum ut seruatorem se esse ostenderet, tum etiam ut magis, ac magis diuinitatē suam comprobaret.

SOL

IN Aquario vero tametsi quasi circulum à natiuitate, vsq; ad mortem complere voluerit, eius tamen præcipuũ motum a 30. anno, vsq; ad mortem obseruamus, tunc.n. verè in Aquario, hoc est in tribulationũ aquis fuit immersus, ita vt cum Dauide dicere posset intrauerunt aquæ, vsq; ad animam meam, aquæ tamen istę, vt in Ecclesiastico dicitur, non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina tentationum inundantia obruere illam.

De tentationibus Christi. Cap. 12.

1 FVit igitur in aquis tentationum, quia à Dæmone in deserto tentatus, ut hominem de mundi deserto laboraret.

2 Hocq; ad exemplum, & auxilium cõtra tentationes præstandum conuenientissimum fuit.

3 In aquis etiam tribulationũ fuit, dum propter nostræ salutis restaurationem passionis tempore in parte sensitiua, & intellectiua summorum dolorum passus est cruciatus.

4 Illi.n. dolores omnes, quos in hac uita homines pati possunt excesserunt.

5 Hinc nobis maiora profluxa sunt bona, quo maiores fuere cruciatus eius, existens namq; in aquis passionũ gratiarum aquas nobis est elargitus.

6 Licet autem dolores omnes fuerit perpessus, nihilominus superior in illo rationis pars proprio actu beatorum fruitione fruebatur.

SOL

Equinoctium faciens.

VEluti Solem bis in Anno in puncto equinoctialis moueri tradunt Astronomi, atq; ita diei noctem in Libra, & Ariete adæquare, non aliter, nos quoq; Solem Christum bis diei noctem ijsdem in signis adæquasse poterimus libere dicere, in Ariete quidem merito passionis, in Libra verò ad Patris dexterã sessione. Quod autem in Ariete passionis tempore motum peregerit, ex eo facile probari potest, quia sicuti arietem inter vepres adinuētium pro filio suo immolando obtulit Abraam, ita æternus Pater arietem Christum spinis, et vepribus circunseptum pro Filio hoc est humano genere immolauit, iuxta illud Isaiæ profeticũ dictum, tanquam ouis ad occisionem ductus est.

In eoq; equinoctium compleuit pro nobis de toto rigore iustitiæ satisfaciendo.

De Paßione Christi. Cap. 13.

1 ARies igitur iste ex obedientia voluit immolari, vt humanæ reconciliationis perfectũ Deo Patri exhiberetur sacrificium.

2 Tradidit namq; Deus Pater Christum passioni ipsum præordinando pro humani generis liberatione pati, iuxta illud Isaiæ, posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.

3 Vnde cum diras pœnas sustinẽdo Deo opus acceptissimum

fimum reddiderit, eius Paſſio per modum ſacrificij operata eſt.

4 Imo nedum per modum ſacrificij, verum & per modum meriti, atq; ſatisfactionis noſtram ſalutem cauſauit.

5 Vnde hoc arietis ſacrificio nedum à peccato liberati, atq; à diaboli poteſtate erepti, verum etiam Deo in omnibus reconciliati ſumus.

6 Et q̃ maius eſt, vt cœli ianua, quæ diu clauſa fuerat aperiretur nobis promeruit.

Sol in Capricorno Hyemale Solſtitium terminans.

QVemadmodũ eſtiuale ſolſticiũ eius natiuitate in Cancro terminaſſe diximus, ita Hyemale ſolſticiũ in Capricorno, quòd mortis hieroglificum erat compleuiſſe dicendum eſt. Veluti.n. in hoc Capricorni ſigno maxima ſit Solis declinatio, ita Chriſtus adeo ſe ipſum humiliauit, inquit Paulus, vt obediens factus fuerit vſq; ad mortem.

Vnde mors hæc bene ſolſticiũ dicitur, quaſi Solis ſtatio, quia veluti Sol nõ vltra inclinari poteſt, ſed incipit deinceps exaltari, ita de Chriſto lucidiſſimo ſubiungit Paulus, p̃p̃ quòd & Deus exaltauit illũ, & donauit illi nomẽ, q̃ eſt ſuꝑ oẽ nomen.

De Morte Chriſti. Cap. 14.

1 VT hyemale ſolſticium peccatorum noſtrorum terminaret, neq; diutius caloris gratiæ abſentia frigore torperemus Chriſtum mori conuenientiſſimum fuiſſe exiſtimatur.

2 Licet aũt anima à corpore fuerit ſeparata, diuinitas tamen nec ab anima, nec à corpore potuit ſeparari.

3 Nihilominus in illo mortis triduo Chriſtum Dominum hominem fuiſſe aſſerere hæreticum eſt cum ad hominis diſſolutionem ſufficiat animæ à corpore ſeparatio.

4 Licet aũt fuerit animæ à corpore dissolutio, nihilominu Chrlsti corpus viuũ, & mortuum idem numero fuit.
5 Quantũ vero valoris fuerit Christi mors ex eò facile intelligi põt cũ nos à morte animæ, & corporis eripuerit.
6 Hæc.n. sicuti natiuitatis, & passionis ita mortis eius causa fuit, iuxta illud Pauli mortuus est pp delicta nostra.

SOL IN LEONE.

IN Leone aũt motũ peregit dum solutus doloribus inferni ab inferis resurrexit, veluti.n. Leo mortuos Catulos vocè dicitur suscitare, ita æternus Pater voce oĩpotentiæ suæ Catulum suum, videlicet Christum à mortuis excitauit.

De Resurrectione Christi. Cap. 15.

1 FVit namq; omnino necessarium Chriftũ à mortuis resurgere, vt nostræ resurrectionis causa esset, & nostri per eam plenam operaretur iustificationem.
2 Quare Christi corpus integrũ resurrexit eiusdẽ existẽs naturæ post resurrectionem cuius etiam fuerat prius.
3 Nihilominus non amplius moriturum corpus, sed gloriosum resurrexit.
4 Decuitq; Christi animam in resurrectione, corpus cũ cicatricibus resumere, vt uictoriæ suę triumphũ circũferret, dubiosq; in fide solidaret.
5 Quare licet non omni populo, quibusdam tamen à Deo præordinatis testibus debuit manifestari.
6 Decuitq; Christũ post resurrectionẽ aliquantisper cũ discipulis conuersari, vt se uere surrexisse manifestaret.

Sol in Libra Equinoctium terminans.

DIximus autem in Libra per eius ad patris dexterã sessione equinoctialẽ circulũ attigisse. per eã namq; iudiciariam
adeptus

adeptus est potestatem, qua potest diem à nocte hoc est bonos, malis separare, bonis præmia reddens, malis autem supplicia vt igitur, & hoc breuiter absoluamus, nonnulla de iudicaria Christi potestate obseruabimus.

De Iudiciaria Christi potestate. Cap. 16.

1 PRimo igitur cõfirmandum venit, quòd supra dictum est Christũ, nẽpe ad patris dexterã sedere, nedum in quantum vna cum patre habet deitatis gloriam, verum etiam quatenus iudiciariam habet potestatem.

2 Hęc namq; soli conuenit Christo cũ, & sapientia genita, & veritas à patre procedens vere dicatur.

3 Imo nedum ipsi, vt Deo, sed ut homini etiam, cũ Ecclesiæ fuerit caput, conuenire defendimus.

4 Ex operibus quippe suis meruit obtinere, ut secundũ Dei iustitiã iudex esset, qui pro Dei iustitia pugnauit, & uicit cum ipse iniuste fuerit iudicatus.

5 Maxime aũt in extremo iudicij die hanc exercebit potestatem, cum uiuos, & mortuos uenerit iudicare.

6 Tunc.n. horum libri hoc est conscientiæ aperientur, apparebitq; quæ uera, quæ ue erronea conscientia fuerit.

SOL IN SAGITTARIO.

E*Xpleto autem Libræ, hoc est iustitiæ motu respectu quorũdã in Sagittario, respectu aliorũ vero in Scorpione moueri cogetur, respectu eorũ qui in Dei gratia ex hac vita migrauerint pro eorũ tamen criminibus non plenè, ac integrè satisfecerint, in Sagittario motum aget. Veluti.n. sagittæ feriunt, ac transeunt ita Purgatorij pœnæ excruciant, desinunt quandoq; tamẽ. Vnde in hunc sensũ illud Psalmi etenim sagittæ tuæ transeunt à doctoribus exponi solet.*

1 PVrgatorium locus quidam est in quo tanquã in carcere post hanc vitam purgantur animę, quæ in hac non plenè purgatæ fuerunt.

2 Licet aũt nulli, vt Valdenses Armeni, & Albigẽses purgatorium dari negarint, de hoc tamen apud fideles nullum dubium est.

3 Quare qui purgatoriũ dogma esse fidei, haud credit ad illud nunquam est peruenturus, sed in gęhenna sempiterno incendio cruciandus descensurus.

4 In isto uerò purgatorij loco, neq; mereri, neq; de mereri aĩæ pñt, ut falso libro de Purgatorio ꝓbauit Lutherus.

5 Licet autem non mereantur, de æterna salute tamen certissimè sunt, solo Dionysio Cartus. ob uisiones quasdam aliter sentiente.

6 Vnde simul, ac nihil purgandum habent in Cœlo recipi definit Florentinum Concilium, cum præter Purgatorium alius non detur locus in quo animæ retineantur, antequam ad cœlorum regnum peruenire possint.

SOL IN SCORPIONE.

Damnatis autem pœnas infligendo æterno tpe in Scorpione mouebitur, veluti n. Scorpionum morsus insanabilis est, ita damnatorum pœnæ irremediabiles, vnde dictum illud Hieroboam poterit Christus damnatis insinuare, Pater meus uobis viuentibus tribulationum flagellis, vos cecidit, ego autem cedam vos Scorpionibus.

De damnatorum pœnis. Cap. 18.

1 DAmnatorum pœnas Scorpionum morsibus assimilauimus, tum ratione acerbitatis, tum etiã insannabilitatis, non quod vere Scorpionum morsus passuri sint, affligentur, namq;

pœna

pœna ignis,alijsq; pœnis in scrip enumeratis.

2 Ignis aūt quo damnatorū spiritus præcipuè torquentur materialis erit,agetq; in ipsis nō ex eo ꝙ transmutauerit Deus dānatorum naturas reddendo eas passibiles, cum natura sua sint impassibiles,vt sentit Henricus,sed intē tionaliter pœnam ignis in inferno existentis ꝑsentient.

3 Angeli similiter mali,qui nunc in aere caliginoso deputa ti sunt in infernum deniq; detrudendi ignis pœnam in inferno existentis intentionaliter persentiunt, non autem ignem secum defferunt,ut quidā falso putarunt.

4 Præter ignē aūt a uerme,hoc est conscientiæ remorsu excruciabuntur,iuxta illud uermis eorum non morietur.

5 Imo probabiliter sustinemus conscientiæ remorsum non esse peccatorum oīum successiue,sed in eodem instanti, iuxta illud Isaiæ tinea,& vermis operimentum tuum.

6 His omnibus alia sequentur detrimenta, tum ratione co gnitionis,quia obscurabitur eorum cognitio, tū rōne actionis, quia actum moralem bonum ex circunstantia Scoti,& Durandi pace elicere non poterunt.

7 Perseuerabuntq; æterno tempore in hac miseria ex eo, ꝙ Deus perpetuo præuenientem gratiam,qua se conuerti valeant denegaturus est,tametsi hoc Tomæ, & Alex. nō placeat.Cur aūt hoc nolit Deus consulatur. Egid. Bon. & Scotus.

Mars, Iupiter, Saturnus.

Solis motu in vnoquoq; Zodiaci signo considerato,ne ab instituto nostro,vel vnguem quidem recedere videamur, de tribus Angelorum Hierarchijs, sub tribus sequentibus cœlis Marte,Ioue, & Saturno constitutis sermonem habebimus, singulæ namq; Hierarchiæ, singulis hisce orbibus perpulchrè accommodantur. Mars, Angelis, Archangelis, & Tronis. Iouis Dominationibus, Principatibus, & Potestatibus. Saturnus

nus deniq; Virtutibus, Cherubinis, ac Seraphinis. Licet autem quod dictum est ex nomine ipso, vnicuiq; recte intelligẽti constare facile posit, breuiter tamen ad doctrinæ claritatẽ cõprobabimus. Prima igitur Hierarchia, merito Marti assimilatur, quia veluti Mars ob animi robur, ac corporis fortitudinem armorum, Deus ab omnibus habitus est, ita diuini illi spiritus cum Michaele Principe, in Empireo Cælo prelium magnum, cum dracone commiserint, eoq; fracto victoriam reportarint, profecto, vt tot Martes, vt tot belli Principes venerari debent. Dominationes autem Principatus, & Potestates, Ioui meritò comparantur, quia quemadmodum Iouis ob summam eius Potestatem, alijs Dijs dominari dicitur, ita Dominationes cũ reliquis ita dicuntur, quia re vera alijs dominantur, ac præferuntur, sub Saturno autem reliquos Angelos, vt Cherubinos, ac Seraphinos locandos esse iudicauimus, quia Saturnus cum malenchònicus sit Planeta, scientiæ profunditatem, speculationisq; aptitudinem designat, ita Cherubini, ac Seraphini scientiæ eminentia, speculationisq; altitudine ita dicuntur. In hoc etiam vniuersalis Cælorum, & Angelorũ similitudo consistit, quod sicuti tres hi Planetæ supremo cælo continuo inseruiunt, Ita tres hæ Hierarchiæ eminentissimo Cælo nempe Deo perpetuo inseruire dicuntur.

De bonis Angelis. Cap. 19.

1 TRes igitur dantur Hierarchiæ nouem constantes Angelorum choris, vt ex ueteribus, & nouis scripturis excerpi potest.

2 Rursus hi chori multis constant Angelis non accidentaliter quidem solum, sed etiam essentialiter distin-

distinctis, cum horum unusquisq; speciem unam valeat constituere.

3 Quid si cum Scoto plures sub eadem specie posse Angelos reperiri dixerimus?

4 Licet autem specie, uel numero differant Angelici spiritus, in hoc tamen conueniunt, quòd ratione naturæ omnium creaturarum nobilissimi sunt.

5 Angeli.n.spiritus sunt simplicissimi incorporei omnis materiæ omnino expertes.

6 Hiq; in Cœlo empireo loco nobilissimo conditi sunt, ut Deo assisterent, ac ministrarent, essentq; ad gloriã adipiscendam aptissimi.

7 Quam vt facilius consequi possent gratia g.f. eos in creatione muniuit.

8 Gratia igitur qui bene usi fuerunt gloriam sunt cõsecuti, non quidem iuxta naturalia dona, sed iuxta eorum merita.

9 In hac autem gloria existẽtes hoc ex gratia sunt consecuti, vt non amplius peccare possint.

10 Sicut autem non possunt ullo modo demereri, ita nec vllo modo essentialiter; nec accidentaliter mereri pñt.

De malis Angelis. Cap. 20.

QVia autem prænumerati orbes, nedum concentricos, sed eccentricos etiam circulos habere dicuntur, si Astrologorũ placitis, potius quã Aristoteli acquiescere velimus, Ideo consideratis Angelis bonis quasi Deo concentricis, nũc de malis quasi eccentrices breuiter aliqua sunt annotanda.

1 EX omnibus igitur choris aliqui ceciderunt, atq; eccentrici facti sunt, cum tamen natura sua concentrici essent.

2 Non.n.creati mali, ut quibusdam placuit, sed

cum

cum boni essent, libero eorum arbitrio se ipsos fecere malos.

3 Imo nec in primo instanti suæ creationis peccare potuerũt, vt tuetur Scotus, sed q̃busdã instãtibus interceptis.

4 Peccarunt autẽ non peccato luxuriæ, ut falso existimauit Scotus, sed peccato superbię, ut meliores scholastici tuentur.

5 Huiusq; peccati causa fuit nõ appetẽtia æqualitatis Dei, ut Altisiodorensi uidetur, sed pręuisio euectionis hominum super angelos per Christum futura.

6 Licet aũt peccarunt omnes, Lucifer tamen causa fuit, ut omnes cum eo in errorem inciderent.

7 Quare cum supremus angelorum esset Durandi pace in inferiori, & deteriori loco ad æternas pœnas persoluendas eiectus est.

8 Quæ autem pœnæ illæ sint sub Scorpionis signo quisq; videre poterit.

9 In his igitur inferioribus detrusi dæmones non cessant homines ad peccata protrahere, ut Deum odientes, & homini inuidentes.

10 Nec semel uicti à tentatione desistunt, vt Origeni, & Magistro placuit, sed ualidioribus, nos semper adoriuntur tentationibus.

Primum mobile, siue stellatum cœlum.

CVm rerum oĩum initio angelica natura creaturarũ oĩum supremã obtineret sedem, nullumq; aliud inter ipsam, & Deum cadere posset mediũ, diuinæ placuit bonitati, vt in temporũ plenitudine homines super Angelos eueherẽtur, hocq; priuilegiũ Mariæ, primo (de simplici creatura loquendo) voluit tribuisse. Vnde merito super Angelos iu primo mobili collocatur, cũ supremũ cœlũ stellis, vndiq; circumseptum designet;

Ipsa

Ipsa.n. non secus corona stellarum duodecim est coronata. Vtq; primum mobile inferiores orbes secum trahere omnino conatur, Ita Maria nos orbes inferiores contrario motu incedentes secum rapere obnixe contendit.

De Maria Virgine. Cap. 21.

1 PRimo igitur Manichei hæresi damnata, qui Mariam non mulierem, sed Angelum nuncupabat dicimus, Mariam super omnes mulieres fuisse propter virginitatem, super omnes uirgines propter fæcunditatem, ac super omnes angelos, propter fructus dignitatem.

2 In tribus autem Maria Angelos excellere potuit in gratię plenitudine, Dei familiaritate, & puritate.

3 Fuit namq; triplici gratiæ perfectione decorata videlicet in eius glorificatione in Christi Conceptione, sunt etiã qui dicant in eius Conceptione, sed de hoc non erit disputatio nostra.

4 Quare licet filij Dei incarnationem nõ promeruerit, gradũ tamen meruit sanctitatis, ac puritatis, quo thæotocos, vt Dionisio placet congruè esse posset.

5 In hac autem Christi Conceptione Mariæ fomes, qui antea ligatus erat omnino fuit extinctus.

6 Præter hoc autem Maria donum habuit profetiæ, sapientiæ, & miraculorum.

7 In eaq; firmissima remansit fides tempore passionis reliquis apostolis aliqualiter dubitantibus.

8 Maria deniq; post Christum mortua est, & secundum animam, & corpus specialissimo priuilegio super omnes angelos in cœlum assumpta.

EMPIREVM COELVM.

MAgnos profecto sphæra gradus hucusq; consendimus, cum ab infimo mobili ad primum vsq; peruenerimus,

at supremum nunc vtiq; petimus, dum mobiles cœlos relinquē tes ad immobile eleuamur. tantum n. inter se natura differūt, ac perfectione, vt mobiles cœli materiales quodammodo respectu Empirei immobilis dici possint. Quare merito Deo assimilatur, qui tantum creaturis supereminet, vt merito dixerit Parmenides male ab Arist. intellectus vnum tantum esse ens, reliqua uerò respectu primi entis nō entia potius, quam entia dici posse. In hoc etiam Deo similis videri potest, quòd veluti Empyreum cœlum æternum est, immobile, simplicissimum ita Deus vnus æternus, immobilis, & simplicissimus. Cumq; Empireum cœlum summi regis aula, summiq; opificis extet domicilium, per figuram quandam Deum Empireum Cœlum appellare possumus locum pro locato nuncupantes.

De Deo Vno. Cap. 22.



1 Est igitur Deus adeo vnus, vt merito Dei vnitas omnium vnitatum vnifica a Dionisio fuerit nuncupata.

2 Estq; adeo vnus, vt sit etiam implurificabilis, cum eius vnitas adeo præstet, vt plures Deos esse nedū fieri, sed nec etiam excogitari valeat.

3 Quod autem æternus, atq; immobilis sit hoc adeo certū est, vt naturali quoq; ratione inuestigari possit.

4 Nec de eius simplicitate dubium aliquod esse potest, quā uis perfectiones omnes, quæ in creaturis fusæ, atq; dispersæ sunt in eo formaliter conditæ sint.

5 In Deo namq; nō formaliter, siue ex rei natura, vt inquit Scotus, perfectiones huiusmodi distinguuntur, sed ratione tantum, vt Augustino sentiendum videtur.

DE

1 DEo vt vno, ac simplicissimo considerato, cum eius vnitati, ac simplicitati personarum Trinitas non repugnet, ideò ut trinum etiam in præsenti considerabimus.

2 Quia uerò huius Trinitatis cognitio omninò supernaturalis est, ideò eam alicui cœlorum accommodare sollicitî esse noluimus, vt quæ cum creatis rebus similitudinẽ vllam naturaliter cognoscibilem habere non possit.

3 Quanto aũt naturali ratione ignotior est personarũ Trinitas, tanto fide clarior esse conspicitur, quare unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate ex Athanasio veneranda erit.

4 Non quò d essentia generet, aut generetur, sed diuinum suppositum principium est, ut quod Pater.n. Filiũ sibi coequalem, contra Arium æterna generationẽ gignit, & ambo Spiritum sanctum vnica spiratione, vnicoq; principio spirant.

5 Vnde Pater primum principium est, filius principium de principio Spiritus vero sanctus ab utroq;.

6 Quare Filij emanatio generatio dicitur, Spiritus autem sancti non generatio, sed processio dici debet, cuius rei causa potissima ea est, non quæ ab Alex. nec à Bon. sed quæ à D.T. quæst. 27. artic. 4. adducitur.

7 Ex quo patet huiuscemodi personas non ratione tãtum, vt dicebat Sabellius, sed realiter per oppositas relationes, atq; origines distingui.

8 Duæ namq; sunt in Deo actiones essentiales, ac immanẽtes, intelligere.s. & velle quo fit, ut in diuinis duas tm̃ dari processiones realiter distinctas fateri necesse sit.

9 Vna secũdum quam Filius procedit à Patre, & est per intellectum, altera qua Spiritus sanctus ab utroq;, & est per voluntatem contra errorem Durandi.

10 Cum autem dixerimus personas oppositis relationibus, & origine distingui, hinc sequitur contra Scotum, Spiritum sanctum si à Filio non procederet, nec ab eo etiam distingui.

11 Quare sicuti in Patre generandi potentia necessario ponitur, ita in Filio vna cum Patre spirandi potentia contra Aureolum ponenda erit.

12 Quamuis autem Pater Filio spirandi potentiam communicet, non tamen generandi potestatem tradit, vt inquit Egidius, nec vtriq; spirantes Spiritui sancto aliam spirandi potentiam tribuunt, sed sicuti generatio in solo Patre tota absoluitur, ita spiratio tota in Patre, & in Filio euacuatur.

Hæc de diuinis, æternisq; emanationibus, quasi per transennam dicta sufficiant.

Colures circuli considerantur.

COEli vltimi immobilis absoluta consideratione duo illi maiores circuli ab Astronomis colures dicti se se offerunt cõsiderandi, hi.n. cum reliquos sphæræ circulos sustinere videãtur, duobus præcipuè diuinis attributis potentiæ.s. & sapiẽtiæ rectè accommodãtur. Hæc namq; attributa quasi colures quidam totius sphæræ circulos sustinere uidetur, cum omnibus in rebus diuinæ potentiæ, ac sapientiæ radius elucescat.

Licet autem circulos omnes colures isti sustinere dicantur, quatuor tamẽ Zodiaci præcipua pũcta designant, ita potẽtia, & sapientia quamuis omnibus in rebus reperiantur in quatuor tamen præcipuis operibus, vt creatione, conseruatione, saluatione, & glorificatione manifestantur.

De Deo

1 CVm igitur actiua potentia perfectionem dicat talem potentiam in eo ponere nullum erit inconueniens.
2 Quæ potentia vna dicenda est non plures, vt Henrico uidetur.
3 Cumq; infinita sit iure à Thæologis omnipotentia dicitur, secundum quam Deus ea omnia facere potest, quæ nullam implicant contradictionem.
4 Sciendum autem nomine Dei non solum Patrem, sed Filium etiam, & Spiritum sanctum intelligi debere, illis namq; æqualiter conuenit omnipotentia.
5 Quamuis uerò tribus cõpetat omnipotentia, absit tamẽ ut inferamus ergo tres omnipotentes, inquit Athanasius, sed unus omnipotens.
6 Tribus autem exceptis diuinis personis, huiuscemodi omnipotẽtiã alteri cõpetere Thæologorũ nemo dixit.
7 Imò à Christo etiam, vt homine omnipotentiam huiuscemodi auferre non dubitarunt.
8 Non derogat autem diuinæ omnipotentiæ, non posse facere Petrum non negasse Christum, cum velit nolit Gilbertus, & Ariminensis contradictionem implicet.
9 Vtrum autem possit materiã sine forma conseruare, quãuis problematicè sustineri possit, nos tamen cum Henr. affirmatiuè parti adhæremus.
10 Pôt ẽt vacuum facere contra Thæologum quẽdam ab Henrico allegatum, necnon contra Ariminensem.
11 Vtrum uerò effectum infinitum producere possit Tomæ magis, ac Scoto hoc negantibus, quam Argentinensi, Ariminensi, & Baconi id affirmantibus aequiescere uolumus.
12 Potest demum perfectiorem speciem, usq; in infinitum producere contra nonnullos Thæologos, imo etiã perfectio-

fectiorem mundum contra Platoné in Timeo, & Arist. primo cœli.

De Deo omniscientie. Cap. 25.

1 Icuti autem in Deo summa, & infinita est potentia, ita summa, & perfectissima est scientia, non effectiuæ solum, sed formaliter etiã contra quorundam Philosophorum arrogantiã.

2 Qua scientia essentiam suam, ac per consequens personas contemplari potest, cum eius scientiæ primarium obiectum esse dicatur.

3 Potest etiam hac eadem scientia alia à se cognoscere, siue sint corruptibilia, siue incorruptibilia, hocq; et in uia peripathetica uerum esse tueri conabimur.

4 Talia autem diuinæ scientiæ secundarium obiectum contra Aureolum dici possunt.

5 Deus igitur intelligit singularia non in genere, ut sentit Auer. non in causis tantum, ut Auicennas, nec indistinctè, vt quidam alij, sed in se, & pro ut sunt distinctè cognoscit.

6 Infinitum quoq; intelligit diuinus intellectus, cõtra Petrũ de Albernia, & quodammodo, contra Scotum.

7 Imo adeo summa est diuina scientia, ut ea etiam, quę nec sunt, nec futura sunt cognoscere valeat.

8 Imo cõplexa quoq;, ac mala intelligere potest, quamuis eius scientia, nec composita, nec discursiua, nec mala dici possit.

9 Licet aũt diuina scientia propriè speculatiua, siue practica dici nequeat aliquo tamen modo, & speculatiua, & practica, contra Henr. & Scotum dici potest.

10 Hæc autem practica scientia est rerum causa, magis quã potentia, contra Durandum, ac magis quam uoluntas contra communem opinionem.

Meri-

PRæter colures aũt aliosq; maiores circulos enumeratos, Meridianus superest circulus ita dictus, quia Solis progressu ad diei medietatẽ patefaciat, non secus in hac diuina, ac eminenti sphæra nostra, præter ea, quæ antea enumerauimus diuinæ placuit sapientiæ legem suam non modo hominum animis inserere, sed ore etiã pronunciare, ut ea quasi Meridiano quodã diei medietatẽ hoc est uirtutẽ dignosceremus, ipsam.n. non in extremis, sed in medio positam esse morales Philosophi tradiderũt. De hac igitur lege nõnulla breuiter obseruanda erũt.

De Lege, & Præceptis. Cap. 26.

1 VT autem Aris. præceptum ab omnibus obseruatum non aspernetur, quod omne multipliciter dictum, prius est distinguendum, quam definiendum, Ideo obseruandum uenit multiplicem esse legem nempè æternam, Humanã, & diuinã.

2 Quæ diuina duplex est naturalis. s. & scripta, rursus lex scripta in ueterem, & nouam non specie quidem, sed secundum perfectum, & imperfectum distinguitur.

Lex uetus demum in iudicialem, cæremonialem, & moralem diuidi solet.

3 Ex altera uero parte Humana in Ecclesiasticam, & ciuilẽ secari consueuit. Ciuilem autem in legẽ gentium prouinciarum, & Municipalem partiendã esse iudicamus.

4 Humana autẽ lege, necnon eius partibus prætermissis dicendum uenit æternã legẽ gubernatiuã rationem esse totius uniuersi in diuina mente, tanquam in principe uniuersitatis constitutam.

5 Diuina uero lex, quæ hominum cordibus naturaliter insita est, nil aliud ex D.T. esse potest nisi impressio q̃dam Diuini luminis, seu participatio legis æternæ, secũdum

quam bonum à malo discernit rationalis creatura, habetq; ad debitū finē, & actū naturalem propensionem.

6 Quid autem aliarum legum unaquæq; sit cuilibet mediocriter exercitato crediderim ego manifestum esse.

7 Legis uero præcipuus est effectus subditos bonos facere eosq; ad propriam ipsorum uirtutem perducere.

8 Quare legis erit uirtutum actus imperare, uitia prohibere, indiferentes uero actus tolerare.

9 Ex quo obiter fit manifestum non actus oēs, vel meritorios, uel demeritorios esse, cū actus indifferentes quoq; dari necesse sit cōtra quorūdā scrupulosorū opinionē.

10 Licet aūt tū in veteri, tum in noua lege multa reperiātur pcepta illud, tamen de diligendo Deo cū oīum pceptorum formā esse sustineamus, Ideo, nec ab alijs distingui, nec alia sine ipso obseruari posse, contra omnes ferè scholasticos tueri conabimur.

De duobus Polis Artico, s. & Antartico.

Veluti super Polos immobiles quasi cardines sphæra tota continuo circumuoluitur, ita super veteri, & nouo testamento quasi immobilibus polis tota ætherea sphæræ pars, quæ Thæologia est in girū mouetur, si quæ è medio poli isti cui sphæra inititur auferentur, oēs quoq; scientiales circulos ruere necesse esset, imo qui vnum polorum tantum ab hac sphæra nostra amouere conabitur, is motum etiam ab ea auferre tentabit, cum super vnico Polo tantum moueri nequaquam possit. Vt igitur quo ad motum, necnon figuram sphæra nostra integra perseueret, vtrumq; Polum ab aduersariorum calumnijs vindicandum erit.

De Ve-

Cap. 27.

1 EST igitur vera conclusio duos esse polos nempe duo testamenta vetus.s.& nouum, vtrumq; sacrum, utrumq; diuinum, Manichæorum hæresim fatuam existimantes ueteris testamenti libros a malo quoddam dæmone dictatos fuisse. Necnõ Fausti Manichæi cum Aug. delirium condemnãtes, qui dixerit noui testamenti libros, nec ab Apostolis, nec Domini discipulis, sed ab alijs quibusdam fuisse cõscriptos.

2 In primo igitur polo ponendus est Moysis Pentateuchus, liber Iosue Iudicum Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ, & Neemiæ duo, contra Simonianos, & Basilidianos.

3 In eodẽ quoq; librum Iob locandum esse contra Talmudistas, necnon contra Lutherum tueri conabimur.

4 Psalmos quoq; Dauidis 150. sub eodem polo contra Philastriũ Hæreticũ, necnõ paulũ Samosatenũ collocamus.

5 De Prouerbiorum libro paruam habebimus difficultatẽ, cum neminem hæreticum contradicentem potuerimus inuenire.

6 De Ecclesiastico autem non dubitamus, quamuis ipsum de voluptatibus loqui blasphemet Martinus, dicantq; alij ipsum composuisse cum mulierum amore, deprauatus summum bonum cum Epicurro in corporis uoluptatibus collocaret.

7 Sicuti autem Ecclesiasticum de edendi, ac bibendi delectatione plenum esse dixerunt quidam, ita alij Canticũ canticorum non spiritu Dei veri, sed cupidinis afflatu scriptum esse uoluerunt.

8 Sub hoc etiam polo nõ immerito profetas maiores quatuor, & minores 12. ponemus, licet reclamet Theodo-

rus Mopſueſtia profetas omnes clariſſimorum mendaciorum reos faciens.

9 Sub Altero vero polo Euangeliorum libri 4. continētur, tametſi quidam ſolo Ioanne, quidam ſolo Luca, quidā ſolo Marco, quidam vero Matthæo ſolo utantur.

10 Acta quoq; Apoſtolorum in diuinorum voluminum ſerie locanda eſſe credimus, tametſi Cherintus Cerdo, & Tatianus oppoſitum probare conati ſint.

11 Idem de Pauli epiſtolis arbitrandum eſſe iudicamus, cōtra Ebionitas Paulum non Apoſtolum, ſed apoſtatam nuncupantes.

12 Non aliter quoq; de duabus epiſtolis canonicis Petri, & Ioannis, ſentiendum eſſe putamus Solis reclamantibus hæreticis, ne ſui moris obliuiſcantur.

13 De libro autem Heſter Baruch, Danielis, Tobiæ, Iudith, Sapientiæ Eccleſiaſtici, Machabæorum, ac de quibuſdā partibus Marci, Lucæ, & Ioannis, necnon epiſtolæ ad Hebræos, Epiſtolæ Iacobi ſecundæ Petri, & primæ Ioannis, Epiſtolæ Iudæ, & Apocalypſis diſceptatio aliqua et inter catholicos aliquando fuit.

14 Omnes iſti tamen ſacri, & diuini ſunt, vt conciliorū decreta, & patrum teſtimonia probare videntur.

15 Præter hos autem enumeratos neminem ſacrum, & diuinum, ſed Apocryphum iudicamus.

De Linea quæ Axis dicitur.

QVemadmodū in materiali ſphara, qui de hac re ſermonē habent inter duos polos lineam quadā per terræ cētrum tranſeuntem extremoſq; polos vnientem imaginati ſunt, ita et nos qui longè nobiliorem, longèq; præſtantiorem ſphæram conſtruere tentamus, ne quid ſit, quòd in ea, vel minimum quidem

deſi-

desiderari possit, nedum duos polos duo, videlicet testamenta, verum & Axem quoq; Polos vnientem adinuenire uoluimus, fides igitur, cum utrumq; testamentum attingat, vtrumq; vna coniungat, Axis congrue dici poterit. Quod perpulchrè quidē obseruasse Psalmistam, eo facile dignosci potest, quòd dixerit, rec dilecti dilecti speciei domus diuidere spolia, si dormiatis inter duos cleros. Quid.n.hoc aliud indicare videtur nisi diuinus pater, qui est rex dilecti filij, & dilecti Spiritus sancti pa ratus est diuidere spolia domus suæ.i.reuelare misteria essentiæ suæ si dormiamus inter medios cleros.i.inter duos scripturę Polos vetus.s.& nouum testamentum? Quid vero Axis per elementarem mundum transitus ille designat, nisi nonnulla esse fide tenenda proposita, quæ naturali quoq; ratione à doctissimis viris probari possunt.

De Fide. Cap.28.

1 DE fide igitur acturi illud primo obseruandum venit, ne in æquiuoco laboremus, nos de ea non loqui fide, quæ à Cicerone officiorū primo, dictorum, conuentorumq; constantia, & veritas dici solet, Nec de ea, quę à Lutheranis fiducia dicitur, sed de ea potissimū intelligimus, quæ habitus est assentiendi alicui propter veracitatem dicentis. Talis autem sola est diuina fides cum infallibili Dei reuelātis auctoritate innitatur.

2 Fides autem quæ à Lutheranis fiducia dicitur, nec ea sola iustificat, nec fides qua iustificamur vllo modo fiducia dici potest inquit Trident Concil.sess.6.can.12.

3 Sed fides de qua loquimur est substātia sperandarū rerū

 argu-

argumentum nõ apparentiũ, vt inquit Paul. ad Heb. 11.

4 Hæcq; vera est fidei definitio non aũt eius encomium, vt falso existimauit Erasmus super allegata Epistola.

5 Diuiditur vero hæc fidei uirtus in informem, & formatã informis ea dicitur, quæ sine charitate est, quæ uero à charitate, quę omnium virtutum forma est, informatur ea perfecta, & formata dicitur.

6 Insuper formata fides vera dicitur uirtus, informis uerò non est uera uirtus.

7 Quamuis autem his quæ diximus inuicem distinguãtur, nihilominus informis, & formatæ fidei unus est habitus contra quam plures Thæologos a D. T. allegatos.

8 Esq; hic habitus fidei informis, vel formatę radix, & fundamentum spiritualis ædificij, non eo quidem modo, quo Augustini tempore senserunt Hæretici, sed eo modo quo D. Gregorius 25. Moral. cap. 15. explicauit.

9 Huius uero materiale obiectum Deus est, & alia multa formalis autem obiecti ratio veritas prima est ex Dion. lib. de diui. nominib. cap. 7.

10 Ex consequenti etiam eius subiectum intellectus erit, cũ illius obiectum verum esse dixerimus.

11 Quamuis autem fides ex se speculatiua sit cum in intellectu resideat, & circa verum uersetur, nihilominus extensione quoq; practica fieri potest.

12 Huius demum effectus sunt timor nedum serui lis, & filialis, uerum etiam cordis purificatio iuxta illud Actuum. 15. fide purificans corda eorum.

Arctici, & Antarctici circuli speculatio.

PRæcipuis sphæræ partibus absolutis, vt extremam deniq; manum negotio huic nostro imponamus, duos illos minores circulos prope polos à sphæra descriptos considerabimus, eosq;

vt à

vt à Sole remotissimos, & frigidissimos, necnon vt deteriores, viliores q; sphæræ partes originali, & actuali peccato assimilabimus. Hæc.n. cum gratiæ calorem omnino extinguant, cor hominis frigidissimum, atq; à iustitiæ Sole remotissimum reddere, conspicuum est. De hoc.n. frigore super Io. inquit Aug. Hyems erat ideo frigidi erant, ad illum.n. diuinum ignem accedere pigri erant, de remotione autem illud extat profeticũ Isaiæ dictum, peccata vestra diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.

De originali peccato. Cap. 29.

1 DE peccato igitur considerationem habituri de originali primo, quam actuali ratione antiquitatis prioritatis, ac vniuersalitatis agendum erit.
2 Illudq; in primis obseruandum venit hoc uerè, & formaliter peccatum esse contra Pelagij erroneam opinionẽ, necnon contra Armenorum, ac Albanensium falsam æxistimationem.
3 Est.n. peccatum hoc concupiscentia transfusa in totum humanum genus, ab Adam effectiuæ, vt patre primo priuata mente gratia g. f. ob illius ligni vetiti commestionem, vt contra legem æternam concupitiua.
4 Trasfunditur autem huiuscemodi concupiscentia non per motũ quidẽ libidinis inordinatum, vt inquit Magister, nec alio quocunq; modo à Thæologis excogitato, sed ex eo potissimum, quod humanum corpus cũ naturaliter ad concupiscendum, vt lapis ad centrum continuo tendat, increat Deus corpori huic naturaliter cõcupitiuo aĩam, sine gratia, atq; ita consurgit originale.
5 Dixi autem sine gratia g. f quia nec Tomæ, nec Scoti adhæreo

hæreo opinioni cum illud originalis iustitiæ carentiã esse velint.

6 Illud etiam (ab Adam) volui obseruasse, quia non peccante Adam, tametsi Eua peccasset originale tamen nõ contraxissemus.

7 Ab Adam igitur non ab Eua profluxum est originale, propter nimiam diuinæ misericordiæ præsumptionem, dicant quidquid alij velint.

8 Hinc sequi necesse est, si Deus hominem ex alia procrearet materia, quæ in Adam non fuisset talẽ personam originale contrahere nusquam posse.

9 Qui uerò ab Adam generatione prouenire dicuntur in essentia, primo Scoti pace, in potentijs verò per redundantiam originale suscipiunt.

10 Quamuis autem naturam totam Adam ille primus scelere flagitiosissimo inficere uoluerit, secũdus tamen Adã nempe Christus morte, ac passione sua hoc idem penitus auferendo restaurauit.

De Actuali peccato. Cap. 30.

1 Ctualis peccati consideratio cuipiam inutilis fortè uidebitur cum de non ente, neque scientia, neque demonstratio Auerroe teste haberi possit, attamen si accuratius illius effectum inspicere quis uoluerit, cum diuinæ uisionis priuationi æternas quoque pœnas superaddat eius cognitionem nedum utilem, uerum omnino necessariam esse cognoscere facile poterit.

2 Præcipuè quidem cum actuale peccatum non ficticia quædam res, imaginariaue sit, ut secundæ intentiones, sed in aliquo reali, & bono consistat, siue sit cogitatum, siue prolatum, siue executum.

3 Ideò

3 Ideo penes actum definibile esse omnibus constat, nos uerò penes inordinationem quoque, quę in actuali peccato formale est definiri posse superaddimus.

4 Est. n. intellectualis creaturæ electio ex sui inordinato amore contra legem æternam spiritualem mortem dę se perpetuam inferens.

5 Electio namque ista ea est, quæ hominem formaliter peccatorem constituit, non autem ira diuina peccatorem respiciens, ut tuetur Franciscus de Maironis, nec elongatio peccātis à Deo, ut Magister, nec maculæ inhæsio, ut Tomas, nec deniq; relatio illa inter Deum, & peccatorem ab Aureolo, & Scoto excogitata.

6 Cumque pluribus modis electio ista fieri possit, nedum in plura specie, uerum etiam in plura genere diuidi poterit.

7 Diuidunt namq; Thæologi omnes actuale peccatum in illud cogitationis, locutionis, & operis, non quod idē peccatum tribus hisce modis exerceri non possit, cum hoc de superbia obseruet Isiodorus, sed quia actus simpliciter cogitationis absq; eo, quod in opus exeat, peccatum esse potest.

8 Tribus autem præcipuè modis peccatum hoc iuxta tres temporis differentias fieri potest, uel præteritum cogitando, & ita actus memoriæ practicè dici solet, uel cogitando præsens, & ita sensatio dicitur, uel futurū præcogitando, & sic dicitur præcogitatio.

9 Peccatum uero locutionis tribus alijs modis fieri potest, uel maledicendo, uel iniuriam inferendo, uel decipiendo.

10 Ex quo liquido constat mendacium omne peccatum esse, maxime uerò si cum intentione fallendi perpetretur, imo si Alexandro potius quam Tomæ, & Scoto acquiescere uelimus mendacium quoq; iocosum, siue officiosum in perfectis uiris mortale est.

11 De

11 De peccato deniq; operis hoc unicū obseruamus, quod licet culpa in uoluntate præcipuè consistat, in actu tamen executionis quoq; resideat, nec ob hoc duo peccata, sed unicum tantum, grauius tamen dici debet.

12 Sub hac quoq; consideratione peccatum scandali, & in Spiritum sanctum subnectendum esset, cum ex peccato oris, & operis, ueluti tertiæ quædam species producantur, attamen ne nimis prolixum motum habeat hæc sphera nostra omissa scandali communi diffinitione, ex propria sententia annotamus, peccatum in Spiritum sanctum esse hominis adhuc uiuentis perseuerantiam in aliqua electione contra Deum, uel aliquem effectum appropriatum Spiritui sancto, tamdiu quod Deus secundum iustitiam uindicatiuam statuat deserere eum in sensu reprobo. quod ab unoquoq; nostrum diuina bonitas, secundum diuitias misericordiæ suæ auertere omnino dignetur.

Disputabuntur in florentiss. Academia Sancti Augustini Placentiæ. Anno 1593. Die Ianuarij.



